Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
D
44
NAPOLI

Digitized by Google

XUI
O
hh

JOH. ADAMI SCHERZERI

EGRANI,

THEOLOGI APUD LIPSIENSES PRIMARII,

PROGRAMMATA PUBLICA CUM ORATIONIBUS

nonnullis

ACADEMICIS

ab Anno cIↄ. Iↄc. LIIX.

Accedunt

Indices neceſſarii.



LIPSIÆ,

Sumptibus Viduæ JOH. WITTIGAU & FRIDERICI KNOCHII,

M. DC. LXXIX.

VIRO

Magnificâ Autoritate, Generis Nobilitate, Eruditionis Excellentiâ, Munerum Amplitudine, Conſiliorum Prudentiâ celeberrimo

DOMINO

JOHANNI THOMÆ EBERHARDT

aliàs SCHWIND,

JCto undiqvaq; famigeratſſimo, nec non Inclutæ REIPUBLICÆ Mœno-Francofurtanæ Senatori meritiſſimo, & Scholarchæ graviſſimo

DOMINO PATRONO,

Fautori atq; Amico æſtumatiſſimo, plurimumq; honorando

PERPETUAM FELICITATEM PRECOR

JOH. ADAM. SCHERZERUS,
D. & Prof. Publ.

Utinam verò tandem aliqvando publicâ vel lege vel conſvetudine ſingularum Academiarum PROGRAMMATA, ORATIONES, omniumqve Facultatum DISPUTATIONES, qvolibet ſaltim Luſtro diverſis in publicum prodirent Faſciculis! Itâ ex eo ſtatim, qvo PUBLICI DOCTORIS Munus clementiſſimè mihi injunctum fuit, tempore, in cogitatis, imò optatis, nec præcipitato, ut opinor, nec temerario, vanoqve prorsùs voto habui.

Niſi enim hoc fieri contingat, ejusmodi PROGRMMATA (de DISSERTATIONIBUS enim PUBLICIS commodior ſeſe propediem dicendi occaſio offeret) unâ cum ORATIONIBUS oblivioni protinùs tradenda, qvamprimùm

mùm vel Valvas, qvibus affiguntur, vel Cathedras cum Oratore reliqverunt, præſentium memoriæ, cæterorum notitiæ, non levi adverſus poſteritatem injuriâ, ſeſe ſubducent inſtarq; EPHEMERI ap. Ariſtot. L. V c. XV. Hiſt. Animal. ipſo ortûs ſui die intermorientur. Cùm Egregii tamen publici interſit, iſthæc, ut Gubernationis ac Prudentiæ, itâ non minùs Doctrinæ, Exercitationis atq; induſtriæ Academicæ qvaſi SPECULA, in qvæ, præſentibus olim ſucceſſuri Doctores pariter ac Diſcentes intueri qveant, ſtudiosè conſervari.

Taceo, ex iſtis, ſi non Faſtis aut Ephemeridibus, ſaltim Annalibus veluti qvibusdam Academiarum faciem, ſtatum, cultum, incrementa, promotiones, ac ritus cognoſci, Reiqve adeò literariæ Hiſtoriam aliqvam formari poſſe.

Si tanti autem hæc non fuerint, ut præſenti inſtituto, atqve PROGRAMMATIS, qvæ ab Anno cIↃ. IↃC. LIIX. vel totius ACADEMIÆ atq; RECTORIS, vel ORDINIS PHILOSOPHICI (cujus per annos XII. Collega eram) ac THEOLOGICI nomine, tanqvàm PROCANCELLARIUS, DECANUS, & PANEGYRISTA, vel Alumnorum Electoralium EPHORUS, diſtinctis vicibꝰ conſcripſi, pretium facere qveant; totam hanc meam cauſam facilè perorabunt AMICI, qvorum freqventi hortatu, ac literis tandem perſvaſo, qvicqvid hoc eſt negotii, rectè dari credidi. Non eſt igitur, cur Styli, qvòd ſeculum nō ſapiat, ſcabritiem & inæqvalitatem prolixiùs excuſem. Præterqvàm enim qvòd Schedas iſtas juſto niſu non ſum eniſus: ſæpiſſimè in imparatum, certè nunqvàm non occupatum,

tum, cùm ociari nec libeat nec liceat, ſemper habenti qvod agam, occaſio incidit. Qvare pleraq; ſine curâ veriùs præcipitare, & qvicqvid in buccam venit, effundere, qvàm ſcribere coactus fui. Qvod prudentes æqviq; rerũ Arbitri, rebus ipſis contenti, Viro Theologo, Prophetis qvippe magis, qvàm Poetis adſveto, ſpontè condonabunt. Dedi enim etiam in tantâ feſtinatione id operam ubiq; ut lectoribus meis argumento vario & ſelecto, minimè autem proletario aut inutili, placerẽ, ipſorumq; animis aculeos relinqvens ulteriùs cogitandi ac inqvirendi anſam ſuggererẽ. Qvas pagellas TIBI CELEBERRIME EBERHARDE, PATRONE OPTUME, hâc fini offerre volui, ut, qvanti benevolentiam, qvâ immerentem hactenùs, ex qvo in Amicitiam TUAM humaniſſimè me intromiſiſti, complexus es, æſtimem,

ſtimem, publico qvodam documento conſtare poſſet. Etſi verò ruſticũ imitari videar, qvi ex inculto agro carduos Lucullianis hortis inferre, vel Lappam cum Liliis, fungos cum Perſicis Heſperiisqve Malis permutare contendat; veniam tamen à CANDORE TUO rogare & mihi certò polliceri auſim. Suſcipe igitur ſerenâ fronte hanc arrham, & priſtinum mihi favorem etiam atq; etiam rogatus, omninò perſevera. Itâ vive ex animi Tui ſententiâ DEO, PATRIÆ, REIPUBLICÆ, TIBI, TUÍSQ; ! VIVE & PERENNA! Hæc qvotidianis ad DEUM precibus ſupplico, qvo ad ero, ſupplicabo. Perſcriptum Lipſ. Dominicâ REMINISCERE (qvo ipſo die antè hos XXI. annos Profeſſorium Munus in me ſuſceperam) cIↄ.Iↄc. LXXIX.

Programma I.

בעה״נוא

CIVIBUS
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS,

&, in eâ, præprimis
SANCTÆ LINGVÆ STUDIOSIS
Salutem, & Spiritûs S. gratiam
perennem, in Domino JESU
vovet, & precatur
JOH. ADAMUS SCHERZERUS, Egran.

CUm, juxta Ebræos (*a*) [לכל בעל מלאכה יש להוסיף במלאכתו] *cuivis Artifici incumbat augere Artem ſuam*: facilè intelligitur, qvâ fini à SERENISSIMO ET POTENTISSIMO ELECTORE SAXONIÆ *Dn.* JOH. GEORG. II. &c. *Domino meo Clementiſſimo*, mihi *Profeſſio Ebræa* ſit demandata nuper. ſcil. non, ut ſolo ſuperbirem Titulô; (ſicuti *Epiſcopi* Romanenſium *Titulares*, qvos vel ipſi etiam *Tridentini* abominantur) (*b*) ſed ut, Juventutem Academicam informando, Studium Ebrææ Lingvæ amplificem pro virili. Qvâ v. fronte Studioſi me ſint *novellum* excepturi *Profeſſorem*, id timidiuſculè expecto. Qvotusqvisqve enim eſt hodiè, qvi eam Lingvam ſuis

 meritis

a) in נחלת אבות fol. CCIV. col. 2.
b) Petr. Svav. Hiſt. Conc. p. 802, alibi.

meritis didicit æſtumare? cùm omnes ferè eam habeant contemptim, & inter centenos vix unus ſit & alter, qvi aliqvid bonarum huic ſtudio tribuat horarum. Ut igitur meliùs ſperare habeam de Auditoribus futuris; pro more qvædam præfabor, demonſtraturus poſt multos: *Conſecraneo Theologiæ incumbendum eſſe ſtudio Ebrææ Lingvæ.*

† A. Humanum ingenium antiqva ſolet venerari, admirari nova. Sæpe æri poſthabetur aurum, qvia ſuſpicio ſaltim, eſſe Numum ab *Auguſto*, *Antonio*, aliôve Veteris Romæ Moderatore cuſum. Credibile etiam eſt, Papiſtas, impudiciſſimi ſcorti induſium pro peplo *B. Virginis*, aut cujusdam lixæ caculæqve caligas (neſcio an ocreas) *Aqvisgrani* venerari pro caligis *Joſephi*, (c) cujus etiam halitum (qvo calefecit *Jeſum* in cunis) adhuc aſſervari, monſtrârunt iidem (ſi Diis placet) ſatis. Si igitur ſolius, licet fictæ, Antiqvitatis ea vis eſt, ut mortales in ſui pelliciat amorem; qvem non vera Antiqvitas S. Lingvæ in ſui, funibus qvaſi, trahat deſiderium? Cùm ſit perſvaſiſſimum, illam cum primo cepiſſe Homine in Paradiſo. Mendacii enim (d) *Vitruvium Diodorumq́ Siculum*, [qvi Primiplaſtos in beſtias, ſub cavernis, ſine articulato ſermone, viventes, transformârunt,] Scriptura ſatis arguit, dicens: Adamum ſtatim, etiam anteqvam Eva formaretur, eſſe locutum, & qvidem, ut mox dabimus, *ſermone Ebræo.*

* B. Si, porrò, id, qvod Hominem habet Autorem, mirè nobis placet Hominibus, modò ſit, vel videatur, antiqvum: magis certè placeat oportebit id, qvod & antiqvum,

c) Calv. admon. de Reliqv. cap. XXV.
d) Vitruv. l. II. Archit. c. I. Diodor. Sicul. de vitâ primor. hom. vide Euſeb. præpar. Evang. l. I. c. IV. Buxt. Diſſert. de L. Ebr. orig. Th. IIX. † I. Antiqvitate. * II. Autore.

um, & Deum Autorem agnoſcit. Qvod in *Ebræum* mpetere *ſermonem*, facilè poterit conſtare. Et *initiò* idem, ſuppono alibi demonſtratum: *nullam Lingvam ſignificare ex naturâ*, vide commentatores in illud ilofophi (*e*) τὸ γδ κτ συνθήκην, ὅτι φύσει τῶν ὀνομάτων ὐδέν ἐστιν κτλ. Phryges n. (*f*) cum ſuo *Bec, Bec*, vod pueri vel ab ovibus diſcere poterant, dudum donum abire juſſi. Ut mirer, qvid cuidam (*g*) in mentem venerit, uti deliraret: *Vocabula Latina ex naturâ a convenire rebus, ut nullus intellectus, benè diſpoſitus li æqvalem tamq́ proportionatam invenire potuerit vel oſſit; adeò, ut aliqvis, qvi eam prorsùs ignoraverat, naturaliter, ſine ullâ arte Dæmonis aut Dei, ex ſolâ rectâ umorum, organorumq́ diſpoſitione, poſſit & intelligere & loqvi Latinè.* Qvem *Arriaga* (*h*) meritò exſibilat: *Nonnè*, inqviens, *Adamus bonum habuit ingenium, & benè humores diſpoſitos? qvomodo ergò, dum Lingvam invenit* (NB. hîc peccat Arriaga, ut patebit mox) *nil illi occurrit de Latina? vel, nunqvid per tot ſecula, ab orbe condito, natura non tetigit rectam humorum diſpoſitionem, niſi in Latio aut Ennio? &c.* Qvòd v. qvidam ita colligunt: Prima Lingva Adamo non fuit naturalis, qvia omnis Lingva eſt ex inſtituto, & conſeqventer Adam non potuit eſſe ejus Autor (tàm brevi nim. tempore; qvia ſtatim, ac formatus erat, cum Deo & loqvebatur, & loqventem intelligebat) Qvòd qvidam, inqvam, ita probant, probam qvidem ſententiam probant; ſed argumento vix ſatis probo, 1. enim facilè advertimus falſam hypotheſin, de ſupernaturalibus antè lapſum, qvæ res Theologorum eſt. 2. Si notitia illa Lingvæ homini,

 ut

e) Ariſt. περὶ ἑρμην. c. II. t. 3. f) apud Herodot. l. II. init.
g) ap. Roder. de Arriag. Diſp. XIII. Log. Sect. I. Subſect. III, n, 13. p. m. 180. h) ibid. n. 14.

ut integro, fuit divinitùs, ſtatim in formatione, conceſſa, fuerit, utiqve, homini integro naturalis, neceſſe eſt. 3. *li ex inſtituto eſſe*, non excludit *li à naturâ ineſſe*; ſed tantùm τὸ *absq; inſtituto eſſe*. Prima Lingva homini integro à naturâ inerat; ſed non absqve inſtituto divino. 4. τὸ *ex inſtituto* ſignificare id poteſt, qvod non ob naturalem ſimilitudinem ſignificat, licet ſignificet ab initio ob inſtitutum. Aliud enim eſt: *Voces exprimere naturas rerum*, aliud: *voces & res habere ſimilitudinem naturalem*. Sed, *Deum primæ Lingvæ Autorem eſſe*, dixi ſententiam probam: qvod cùm omnes ferè fateantur, hîc non adeò urgebo. Licet enim diſſentiant in modo (dum qvidam literas & ſyllabas omnes: (*i*) nonnulli fundamenta ſolùm & Radices (*k*) Deo adſcribunt) conſentiunt tamen, Deum eſſe Autorem. (*l*) Qvi enim Adamo tribuunt, nondum ſatis habuêre cauſæ hactenus, Ὀνομαθεσία, (*m*) qvæ palmaria ipſorum ratio eſt, *non eſt vocabuli inventio*; ſed tantùm *Nominis impoſitio*, ut rectè reſpondet *S. Muſcatus*, & alii. (*n*) Num, qvi Filio nomina *Ben oni* & *Benjamin* impoſuit, hæc nomina בן׳

i) Liber Coſri P. IV. §. 25. Deus poſuit eam (על לשונו ובלבו) ſuper Lingvam & cor ejus, qvæ R. Muſcatus ſupplet (לכל האותיות והנקודות והטעמים לכל דבריהם ולכל משפטיהם) juxta ſingulas literas, puncta, accentus, verba, eorumq; proprietates vide Ephodeum. Balmeſium præf. Gram.

k) R. Iſaac Abarbin. פי׳ in Leg. ad Gen. II, 19. fol. XXVII. 4.

l) Breſch. Rabb. Sect. XIIX. p. m. 21. col. 1. (נברא העולם בלשון הקדש) vide ap. Buxt. Th. XVII. Coſri. Commentatorem; Akedas Ii Iſchak. Meor Ena, Coach Adonai.

m) R. Muſcar. ad p. II. Coſri §, 72.

n) Gen. XXXV, 16. 18.

עב ׳ימיך ׳בן invenit? nunqvid Adamus, porrò antè *ὀνοματοθεσίας* lingvam ignoravit?

Hanc v. Lingvam primam, cujus Autor Deus, *fuiſſe Ebræam*, prolixè probavit, & IV. rationibus, *Cl. Buxtorf.* non Ebræorum tantùm; ſed & Chriſtianorum calculo, qvem videas. (*o*) Nos ſolâ Etymologiâ id oſtendimus (1.) *Nominum Appellativorum*; qvando Scriptura ait (*p*) Hominem dici אדם, qvòd ſit ex אדמה, Mulierem אישה, qvòd ſit ex איש (reliqva prætereo) Etymologia oſtendit, qvæ in nullâ aliâ lingvâ eſt, primam Lingvam fuiſſe Ebræam. Nam, ut rectè *Breſch. Rabb.* (*q*) ait? שמעת מימיך אומר גיני גינייא׳ אנתרופי אנתרופיא גברא גברתא אלא איש ואישה למדת שהלשון הזה נופל על הל׳ הז i. e. *audiviſtinè unqvam dicentem* (Gr.) *γυνὴ*, Vir, *γυνία*, Mulier, aut *ἄνθρωπος ἀνθρωπία* (Chald.) *Gafra, Vir, Gafratha, Mulier, niſi tantummodo* (Ebr.) *Iſch, Vir, Iſcha, Mulier? qvia nim. cadit vocabulum ſuper vocabulum.* (*r*) 2. *Etymologiâ Nominum Propriorum. R. Iſaac Abarb.* (*s*) accuratum & prolixum diſcurſum habet, ex qvo formo ſeqq. *Concluſiones. Prima:* Omnis Hiſtoricus retinet Nomina propria, cujus Hiſtoriam texit. Aliàs nemo hiſtoriam intelligeret rectè. *Secunda*: Metaphraſtes tantùm reddit Nomina appellativa, non verò propria, qvæ cùm ſæpè non ſint ſignificativa, in aliam lingvam transfundi non poſſunt.

 Sicuti

o) Buxt. l. c. à Th. XXX. ad XLII. *p*) Gen. II, 7. 23.

q) Rabbos l. c. ad Gen. II. *r*) qvid ſit ap. Ebræos לשון נופל על הלשון, ſi rationem Conjugatorum dixero, jam ſatis dixero, vide Meor En. c. LVII. alios.

s) Abarb. פ׳ in Gen. fol. XXIIX. 3. 4. Idem ferè R. Muſcas ad P. II. Coſri. §. 68. illuſtrans qvoqve verba Breſch. Rabb. modò citata.

Sicuti etiam Scriptura retinet Gentilium &Peregrinorum Nomina propria v. g. Bileam, Reguel, Jethro, Oſnatpanech &c. Hæ duæ concluſiones ſunt certæ apud omnes. Ex qvibus ſeqvitur *Tertia:* Hominum illorum, antè confuſionem Lingvarum, eam fuiſſe Lingvam, cujus Lingvæ ſunt Nomina illorum Propria. v. g. *Noah, Schem, Japheth, Seth, Enos, Cenaan, Jered, Abel, Cain, Adam, Eva* ſine dubio hâc Lingvâ locuti ſunt, cujus ſunt ipſa Nomina Propria. NB. Dixi: *antè Confuſionem.* Nam 1. antè confuſionem unam fuiſſe Lingvam, contra qvàm *R. Elieſer* (*t*) & Liber *Chaskuni* (*u*) ſtatuit [fuiſſe LXX. Lingvas, & confuſionem tantùm fuiſſe oblivionem, ut, cùm omnes antea & ſinguli LXX. Lingvas callerent, pòſt qvælibet tantùm ſexageſima hominum pars unam ſolùm retinuerit] alibi demonſtratum ſupponimus. (*x*) 2. Poſt Confuſionem non rarò factum, ut ex alienâ Lingva nomina imponerentur. Sicuti, apud Germanos qvoqve, exempla Qvinti, Septimii, Pauli, Gregorii, demonſtrant. Ex qvibus fit Concluſio *Qvarta*: vel Tirones intelligere: dicta Nomina propria [Noah, Jered, Abel &c.] nullius, ſub ſole, eſſe Lingvæ, qvàm ſolius Ebrææ. Conficitur ergo: *Ebræam omnium fuiſſe primam.*

† C. Vel Sola hæc argumenta, perfunctoriè licet prolata, poterant, Conſecraneum Theologiæ, allicere ad amorem hujus Lingvæ, etſi non ſuppeterent alia. Sed ſuperſunt fortiora, non tàm argumenta cogentia, qvàm arietes. Multorum ingenia multa laborioſiſſimè exercent, qvæ nullam prorſus in Univerſam Remp. Literari-

am

t) Talm. Hieroſol. C. Megill. cap. I. *u*) Chaskuni ad Gen. XI. 6. *x*) vide Commentatores paſſim ad illud Gen. XI, 1. שפה אחת, & qvomodo Cabbaliſtæ Gematricè exinde לשון הקדש eliciant, ut ſuperflua unitas juxta ipſos denotet unitatem Dei. † III. Utilitate & Neceſſitate.

am communemqve vitam conferunt utilitatem. Intelligo *ματαιοτέχνους*, *qvi, cum Xenocrate, maximam vitæ partem, in copulandis literis, & ſyllabis ſubducendis impendunt, qvo ex labore nil conſeqvuntur aliud, qvàm centies millenum ducentarum circiter Syllabarum.* Qvalem percepimus & *Ariſtomachum Solenſem* extitiſſe, qvi *in pulicum ſaltibus metiendis ſexaginta annos inſumpſerit.* (y)

Nil ſugillabo modernos hujus farris *Pſeudophilologos*, qvi (qvod cordati Viri dolent) *ſterqvilinia Ethnicorum potiùs, qvàm Antiqvitatis ſacræ perreptant aurum.* (z) Inutiles & Diabolicos ſcilicet Gentilium potiùs qvàm Divinos, qvibus Salvator ipſe fuit innutritus, inqvirentes ritus. Dixi de inutilibus, qvæ, ſi mentes multorum ita dementant, cur, qvæſo, id habemus inſuper, qvod incredibilem ſui præſtat utilitatem? Ecqvis enim ignorat S. Lingvæ maximam utilitatem tùm in docendo, tùm refutando? Qvod ne ipſi Hoſtes, Vulgatæ amore tantùm non inſani, ignorant, vel confiteri erubeſcunt. *Melchior Canus* (a) IIX. proponit utilitates: *Cardinalis Bellarminus* (b) IV. qvæ jugulum petunt Vulgatæ, eamqve arguunt mendarum, errorum, ambiguitatis, obſcuritatis, *ἀδυναμίας* in reddendo textu ſacro. Qvanta qvæſo hæc utilitas, ita poſſe expugnare Vulgatam, *ἀκρόπολιν* Papiſtarum? Sed ſtrictiùs hoc perſeqvar 1. qvoad *partes Docentis:* Futuro Paſtori incumbere, ut doceat Scripturas, eſt in confeſſo. Qvomodo autem id commodè præſtabit, qvi avthenticæ Lingvæ eſt ignarus? qvomodo, qvæſo Te inductione ſimilium, non tantùm voca-

 bulo-

y) ap. Emund. Richer. obſtetr. Anim. cap. II. n. 3.
z) Sic ferè Cl. Hackſp. de uſ. Scriptor. Rabbin. cap. II. p. 297. n. VI. a) Canus l. II. LL. c. XV. b) Bellarm. l. 2. de V. D. c. XI. † (1.) qvoad partes docentis.

bulorum, ſed & Phraſium, genuinam eruet ſignificationem? Fuſiùs id oſtenderunt *Glaſſius* (c) *Amama* (d) alii. Incredibilem uſum præſtare hujus Lingvæ cognitionem in Concionibus & exegeſi, ſæpeqve unam voculam præſtare vel centenis Commentariis (qvi ſæpe emphaſin præteriêre) ex multis, pauca, ejus rei documenta, proferam exempla. Pſ. LI. 1. ſi reddas: [*Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum.*] Vix eminus Ebræi ſermonis vim es aſſecutus. Nam vocabulum primum eſt ex חנן & ſignificat, ita alicujus miſereri, ut gratis largiaris alicui, cui nullo modo aliqvid debes. Inde enim deſcendit חן & חנינה gratia. Vox altera אלהים prima ſignificatione, DEUM, ut venerandum, notat. Tertium vocabulum חסד talem ſignificat miſericordiam, qvalis eſſe ſolet inter Parentes & liberos, & derivatur inde חסידה Ciconia, cujus ἀντιπελάργησις nota eſt. Qvàm egregia hic, etiam ex Scripturâ, congeri poſſent! Qvarti deniqve nominis רחם vim non attingis, etiamſi miſerationem reddas. Significat enim talem, qvalem Matres habent, erga uterinos ſuos. Matricis enim etiam habet ſignificationem. Vide, qvas emphaſes qvælibet vox includat, qvas nulla Tibi ſuggeret verſio. Facilimum erit jam, Locos communes eruere 1. Solius gratiæ Dei eſſe ut remittantur peccata. Contra Papiſtas & meritum operum, 2. DEI amorem non eſſe deceptorium & fucatum. Contra Calvin. 3. Nos debere gratos eſſe, & Deum, pro remiſſione peccatorum, venerari. &c. de qvibus, forſan, ne ſomniaſſes qvidem. Hoſ. IV. 14. dicitur: *diviſerunt*

ſe ab

c) Glaſſ. orat. de L. Ebr. neceſſit.
d) Sixt. Amama Paræneſ. paſſim.

ab uxoribus. Plus verſio Tibi non ſuggeret. Sed, ἔμφασιν vocabuli יפרין conſideres, advertes, eſſe ivíſionem, qvam ſeqvitur libidinoſa conjunctio, cum corto : & qvidem non conjunctio ſimpliciter, ſed talis, væ eſt ſine procreatione, ad inſtar mulorum, qvi non ;ignunt. ut notetur: ipſos etiam ita gignere, ut non gignant, ad modum Er & Onon (*e*). vide omninò R. *Joeph Kimchi.* (*f*) Taceo qvòd verba Pſ. XVI. *caſtigant me renes mei*, ex Ebræâ Emphaſi notent 1. Paſſionis gravitatem. 2. ſuſcipiendi cupiditatem, qvod ex nulla verſione exſculpes. 2. Patet utilitas qvoad * *Partes Confutantis*, ſi conſideres tantùm † *Judæos, Papiſtas, Photinianos.* Judæi, ſolo Ebræo & Chaldæo Textu pugnantes, plerumqve ex ipſis ſunt refutandi. Qvid autem, qvæſo, ignarus originalis Textus, ipſis reſpondebit objectantibus: 1. עלמה (*g*) eſſe nomen ætatis tantùm, non ſtatus, qvia (*h*) & de tali dicatur, qvæ [ut ipſi interpretantur] paſſa ſit viam viri? qvid inqvam reſpondebit ignarus? præſertim ſi objiciant, etiam *Lutherum* reddidiſſe: eine Magd/ qvod nomen qvoqve ancillæ defloratæ poſſit competere. 2. qvid reſpondebis *R. Lipmanno* objicienti: [מעתה הקשה לו שהרי בהדיא אמר כבר אנוש׳ וידוע שאנוש ל׳ זכר ומלשון אנשים הוא׃ נמצא מבואר שהנזכר כאן בן איש ויש לו אב שהוא אדם׳ ולא יכולים לפרשו על אם הנוצרי דאכ הוי ליה לומר כבר נשי שהיא לשון נקיבה נשים] (*i*) *Per filium hominis in Daniele non denotari Chriſtum, qvia alias habuerit neceſſe ſit etiam patrem hominem, cùm* אנוש *ſit maſculinum, qvod in Mariam non qvadret, cùm dicendum fuiſſet,*

e) Gen. XXX. 6. *f*) ap. R. Dav. Kimch. ad Hoſ. IV. 14.
g) Eſai. VII. 14. *h*) Prov. XXX. *i*) R. Lipm. Nizzach. Num. CCCXXIX. * (2) Confutantis. † a, Judæos.

בר נשי 3. Qvî refutabis eosdem, dicentes, ad illuſtre teſtimonium de Schilo (*k*) ſenſum eſſe: *non recedet ſceptrum de Judâ, in æternum, qvando venerit Schilo,* probantes id, ſimili, ut ajunt, verborum poſitu, *in Jeſaiâ (l) ſperate in Dominum* עדי־עד כי *in æternum, qvoniam &c.* & adducentes, pro ſe, *Targum Onkelos,* qvod reddidit: non recedet עד־עלמא in æternum &c. vide *Raſchi* & *Bechajum* (*m*) [ענין הכתוב׳ כי בבא המשיח לא תפסק המלכות מיהודה לעד לעולם] 4. Stolida eſt ſententia & Judæorum (*n*) & Coraniſtarum (*o*) de oſſiculo לוז, materiâ futuræ Reſurrectionis; ſed tamen, ſi dicant: Davidem id (*p*) agnoviſſe dicentem: אחת מהנה לא נשברה, qvod reddunt ad verbum: *unum ex illis* (oſſibus) *non eſſe confractum,* qvid reſpondebis, ſi Ebræam ignoras æqvipollentiam?

† Papiſtæ (ut ad hos deveniam) qvàm metuant ſibi, ſi congrediendum ſit nobiſcum, Lingvarum gnaris, fatetur ipſius *Pontificis Jul. III. Secretarius:* (*q*) *Ego,* inqviens, Beatiſſimè Pater, *affirmo, nil poſſe fieri periculoſius. Negare enim non poſſumus, qvin inter ipſos* (Proteſtantes) *multi ſint ſolidè docti, diu verſati atq; exercitati in ipſis Bibliorum fontibus, nôrunt etiam Lingvas Græcam atq; Hebræam* (NB. qvaſi hæ non eſſent fontes.) *Itaq; ſi congrediantur cum Noſtratibus NB. multa ſanè immine-*

k) Gen. XLIX. *l*) Eſa. XXVI. 4. *m*) ad l. c. Gen.

n) vide inter alios R. Menaſſ. B. Iſr. l. II. de Reſur. c. XV. p. 203. ibidemq; Zohar, Toldos Noach. & Toldos Iizchak. ubi mentio fit גמרא חד של, qvod vocant alii לוז.

o) ap. Cl. Pocok. Port. Moſ. p. 117. ſeqq. Arabes Alaibi vocant, qvòd qvidam in cranio, qvidam verò juxtâ os ſacrum putant, huc non attinet. *p*) Pſ. XXXIV. 21.

q) Act. prim. Opp. Verg. t. 1. p. 12. † b. Papiſtas.

minebunt pericula. Scis enim tuos Epiſcopos eſſe ferè Literarum rudes, &c. Qvàm Vulgata ipſorum avthentica (Homo ſc. irrationalis. verſio avthentica.) qvo nomine, reſpectu Ebr. & Gr. L. ne ipſum qvidem Tridentinum (*r*) eam dignatur, ad fontes emoriatur, eſt in aprico, ita, ut ſexennis puer Ebraicè doctus, eam pro lubitu poſſit exſibilare. Declarabo paucis. (*s*) Ex Ehud Scævola facit ἀμφιδέξιον v. 15. ex pugione, longitudinis palmi, cudit oblongum & ancipitem gladium, cujus capulum fuerit longitudinis palmæ. Qvantum oportebit ventrem habuiſſe Eglonem, cui gladius ita erat infixus, ut ne capulum qvidem apparuerit. v. 13. ex ſtimulo bovis fabricat vomeres, qvibus ſc. Sexcenti Philiſtiim fuerant occiſi. En, qvot, paucis verſibus, errata. Ut mirum adeò non ſit, Iſidorum Clarium (*t*) Papiſtam ipſum, octo millia ipſius prehendiſſe peccata. Putrida qvoqve ova ipſam peperiſſe, ex qvibus excluſit (*u*) *Gallum gallinaceum* & (*x*) *columbam, maximè*, ob fellis ſcil. copiam, *iratam*, beneficio Lingvæ Ebrææ deprehendes. Qvid de *cornibus innocentiſſimi Moſis* dicam, qvibus cùm Cornelius ita fuerit delectatus (*y*) ſæpè fui miratus, cur non & Soli infinita cornua aptârit, qvi infinitos radios ſpargit. Licet enim(ſi Diis placet)ipſis, ex קָרַן ſplenduit (*z*) fingere קֶרֶן cornu. Sicuti ex Haſtâ finxerunt militem Longinum, & ex Θεοφανία ſanctum Tiphanium. Fuêre hæc forſan levia: ſed tamen Vulgatæ &

r) Concil. Trid. Seſſ. IV. Decret. de edit. & uſu Sacror. Libr. Azor. Inſtit. Mor. p. 1. l. 8. c. 3. q. 2. Serar. Prolegom. p. 118. Forer. Antiqvit. Pap. t. 1. p. 148. 706. de Muis de Ebr. edit. p. 41. *s*) Jud. III. 15. *t*) Vide Cl. Hotting. Theſ. Phil. L. 1. c. 3. p. 382. ſeq. *u*) Eſa. XXII. 17.
x) Jer. XXV. ult. Sophon. III. 1. *y*) Corn. à Lap. ad Exod. XXXV. 29. *z*) l. c.

tæ & Papiſtis ſatis probroſa. Qvid fieret, ſi nos ad articulos Fidei converteremus? E millenis exemplis ſufficiant tria. Qvomodo refutabimus Papiſtas, dicentes: legendum eſſe: *Ipſa conteret* caput (*a*) aliter, qvàm ex conſtructione Ebræa? Qvomodo dicentes: *Mariam eſſe corredemptricem*, qvia dicatur (*b*) *Vir non fuit mecum*, [q. d. ſed Mulier,] expeditius, qvàm æqvipollentia Ebræâ לא איש i. e. nemo? qvomodo notas objectiones ex dicto: (*c*) non juſtificabitur omnis caro, reſolvemus, niſi ex eâdem æqvipollentia Ebræorum לא כל i. e. nullus? † Vel chartæ patientia non patitur, ut prolixior ſim in *Socinianorum* controverſiis. Qvàm enim ſpecioſè fictis Ebraiſmis, illi fallant, dici vix poteſt. Qvem enim latent fraudes circa Myſterium Trinitatis, in vocibus יהוה & אלהים. item alibi circâ vocabulum עולם ſeculum, circâ Satisfactionis, Redemtionis, Meriti vocabula, circâ peccatum originis in vocabulo יצר & מחשבה, aliisqve infinitis? qvæ expedire Vulgatiſta, Lingvarum originalium ignarus, tàm non poteſt, qvàm non loqvi cum Turcâ, Arabe, Perſâ ſermone Germano, ut Theologi demonſtrârunt ſatis.

* D. Qvàm neceſſaria verò & glorioſa L. Ebr. eſt ſcientia; tàm fœdam ejus oportet, in futuro Doctore Sacrorum, eſſe ignorantiam. Fœdiſſimum enim eſt DEI Legato, ſermonem DEI non intelligere, & Interpreti, Interprete uti. Eſt autem ille Legatus DEI. Fœdiſſimum eſt, Cœcorum Ducem carere oculis. Eſt autem ille Dux. Fœdiſſimum eſt delinqvere, in qvo Tu carpis alios. Carpimus in Papiſtis, qvòd ſint Vulgatiſtæ, qvòd fidem ſuam reſolvant in Autoritatem Humanam. Cur inter

a) Gen. III. 15. *b*) Eſa. LXIII. 3. *c*) Pſ. CXLIII. 2.
† c. Socinianos. * IV. Ignorantiæ fœditate.

inter nos ſunt tales, qvi eandem ſcabiem fricant? Ridemus veteres Papiſtas, qvòd *Cabbalam* (*d*) dixerint, *hominem perfidum & Diabolicum, qui multa ſcripſerit contra Chriſtum.* (*e*) vel eſſe *ſcientiam materiæ primæ,* aut ſaltim *vetulam veneficiis deditam* (cur non fuerit ingens ille Caballus Alexandri Cabbala?) Non immeritò igitur ignarum Jeſuitam, &, qvi diſputaturus, Codicem Ebræum, inverſo ordine, involvit, (*f*) deridiculo habuit Graſerus. Hæc enim fœditas tàm eſt exſecrandæ, ut & Magnis Viris graves expreſſerit voces. *B. Luth.* (*g*) propterea ignaros Ebr. L. vocat *Beſtias*, Beſtien und tolle Thier/ teutſche Narren und Beſtien. *Johan. Druſius* comparat *Aſinis molendinariis.* Alii, paſſim, vocant: *videntes alienis oculis, Tabellarios ſine pedibus.* Sanè turpiſſima hæc eſt fœditas & DEO exſecrabilis, adeò, ut is, qvi hanc Lingvam neglexerit, graviſſimô *Franzii* (*h*) judiciô, *Divinam ſit experturus vindictam.*

† E. Perniciosum eſſe Oratori, ſi Lingva careat, adeò ut ne Oratoris qvidem mereatur nomen, qvis non videt? Non minori cum damno futurus Eccleſiæ Doctor carebit Lingvâ Ebræâ. Citiùs enim Simia obibit aurigæ munus, (*i*) citius loqvetur Bos, (*k*) Cervus, (*l*) Aries, (*m*) Catella, (*n*) Pſittacus, (*o*) Homo, qvi præciſa eſt penitus

d) referente Pico Mirandulan. Apolog. p. 116. & Capnion, de Arte Cabbal. p. m. 625.

e) ap. Thom. Garzon. Theatr. p. 295.

f) v. Melch. Adam. Vit. Theolog. p. 845.

g) Tom. VII. Lat. Wit. fol. 441. b. & Tom. II. Jen. Germ. p. 458. *h*) de Interpr. Script. p. 55. *i*) Ælian. l. V. c. 26.

k) ap. Aug. l. 1. C. D. c. XIII. Fulgoſ. l. 1. Prodigior.

l) ap. Damaſcen. l. III. de Imagin. *m*) ap. Natal. Com. l. VI. c. IIX. IX. *n*) ap. Martial. *o*) ap. Perſ.

† V. Pernicie.

penitus Lingva, (*p*) qvæ tamen, tanqvam prodigia, miraculaqve, ſuis Autoribus traduntur: qvàm Conſecraneus Theologiæ, vel explicabit, vel defenſabit Verbum DEI, ſi præciſa ipſi eſt, qvaſi Ebræa Lingva. Hoc damnum etiam *Patres* expertos eſſe, vel ex ſolâ Diſputatione, cum *Arianis*, conſtare poteſt, dum, Divinitatem Chriſti probaturi Pſ. CX. verſum 3. ex ignorantiâ Ebr. ſermonis, legerunt: *Tecum Principium in die virtutis tuæ, ex utero, antè Luciferum genui te*, pro eo, qvod in Ebræo eſt: *Populus tuus ſponte veniet, in die fortitudinis, vel victoriæ tuæ &c.* Ubi ne Verbum qvidem de Divinitate Chriſti. Hoc peccatum peccârunt *Athanaſius* & *Epiphanius*, qvi poſterior, præterea, itâ exponit: *Merem Meſſaar lactal jeledecheth.* qvod ſignificet: *Ex ventre antè Luciferum genui te. Merem enim, inqvit* (*q*) *ventris eſt, Meſſaar autem matutinus omnibus hoc eſt antè Luciferum. Lactal & antè rorem puerum. Jeledecheth, hoc eſt, genui Te.* Hæc ille. Sed, ubi, qvæſo, hæc verba? qvæ Lectio? qvæ deniqve ſignificatio? *Arium* deceptum fuiſſe, ut ignorantiâ L. Ebr. pro קנני Prov. IIX. 12. legens ἐκτίσατό με ex Chriſto Creaturam fecerit, ſibi Hiſtoria conſtat. Sed profectò, ipſum *S. Athanaſius* non poterat refutare, concedens, nim. ex eâdem ignorantiâ, legendum eſſe: *Creavit me.* Unde qvod Locus citatus tribuit Divinitati, ad Humanitatem periculosè refert, & mirè ſe torqvet, ut probet in d. l. Creationem Dominici Corporis, in Utero B. Virg. eſſe intelligendam, qvia non dicatur in textu: *antè opera*

p) de Martyribus tradit. Baron. ad A. CCCCXLIIX. vide, ſi placet, Aurel. ejus Epitomator. p. 436. Hos ſe, & vidiſſe, & audiviſſe loqventes, Juſtinian. in Conſtit. de off. Præf. Prætor. Afr. ait.

q) Hæreſ. LXV. cont. Paulum Samoſat. p. 274.

ra creavit me, ſed, *ad operam manuum ipſius.* Verba ipſius (*r*) ſunt: κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, εἰς ἔργα αὐτοῦ, οὐ λέγει δὲ περὶ ἔργων ἔκτισέ με, ἵνα μή τις εἰς τὴν θεότητα τοῦ λόγου ἐκλάβοι τὸ ῥητόν. En, qvomodo impegerit. Textus enim ita habet: *Poſſedit me Principium viæ ſuæ, antè opera ſua ex tunc. Epiphan.* (*s*) rectè qvidem ait: *Arianos, qvod Hebraicas dictiones neq; attigerint, neq; noverint, legiſſe: Creavit me.* Qvòd verò refutat Aqvilam, reddentem: poſſedit me, reſtituens: *excluſit me inſtar pulli*, errat. Nam τὸ קנני eſt ex Rad. קנה non verò (ut ipſe putâſſe videtur,) ex קנן nidificavit, qvo caſu non reddendum fuiſſet: *excluſit me*, qvæ ſignificatio hujus Rad. non eſt; *ſed nidificavit me*, qvod ridiculum eſſet. Et de hoc conqveſtus eſt B. Luth. (*t*) Patres ridiculos ſe præbuiſſe, ob ignorantiam Ebr. L. ſatagentes probare divinitatem Chriſti ex Pſ. CX. cujus ibi nulla fiat mentio, paulò poſt dicens: Daß die alten Pater, die ohne Sprachen gehandelt / wie ein Blinder an der Wand getappet / offt des Rechtes gefehlet / und ihme eine Naſen nach ihrer Andacht gemachet haben. Prolixum foret, Papiſtarum aliorumqve Hæreticorum errores, ex hoc fonte manantes, notare. Unde *B. Luth.* (*u*) inqvit: *Lingv. Ebr. notitiam, qvamvis exigua illa ſit, cum omnibus tamen totius mundi Gazis eam non commutarem.* Idem dicit *Melanchthon* (*x*) *Scio, me vix primis labris deguſtâſſe Ebr. L.* (fatetur *Amama*: hoc ex modeſtiâ dictum) (*y*) *ſed tamen hoc ipſum, qvod didici, qvantulumcunq; eſt, propter judicium de*

r) Tom. I. opp. in Expoſ. Fid. p. m. 395. edit. Commel. vide paſſim p. 128. 176. 186. alibi.

s) Hær. LXIX. contr. Ariomanitas p. 336.

t) Epiſt. de Schol. erigend. *u*) Comment. in Pſ. XLV.

x) Tom. IV. p. 471. *y*) Parænes. p. m. 137.

de Religione, omnibus mundi Regnis, omniumq; opibus longè antepono.

† G. Sed, ne ignaviæ mantellum deſit, objiciunt (1.) Lingvæ difficultatem (2.) Verſionum varietatem (3.) Commentariorum claritatem. *Qvid,* inqviunt, *torqvebo ſubtile cerebrum in re adeò difficili? Nonne elaboratiſſimæ ſuppetunt Verſiones, qvi cæcum poſſunt ducere manu? Plus ne mihi tribuam, qvàm tot Eccleſiæ Luminibus, Doctoribus, qvi elimatiſſimos reliqvêre nobis Commentarios? Qvos ſi legero, ſine mei fraude carebo, & optimè qvidem carebo Originalibus Lingvis.* Hi ſunt illi illorum prætextus, ſed qvàm ſint debiles, vel lactantibus apparet.

* Nam 1. licet Ling. Ebr. non adeò ſit facilis, ut ex ſolo poſſit addiſci temperamento; ſed reqviratur qvædam induſtria: non tamen adeò eſt difficilis, ut ſibi perſvadent ignavi. Ita elaborata hodiè eſt ea Methodus, nil ut amplius poſſis deſiderare, qvàm ſolam diſcentis voluntatem. *Hieronymus* ſanè, difficili ævo, Virginem *Plæſillam*, Paulæ Filiam, ita manuduxit, ut paucis diebus S. Ling. ſuperârit difficultates, & cum Matre in diſcendis canendisqve Ebraicis Pſalmis decertârit. (z) Qvomodo, qvæſo, tu, qvi diſcere nondum es aggreſſus, de Lingvæ judicabis difficultate? Non nego, ſi otioſorum arbitrio ſtetiſſet, nos habituros fuiſſe Lingvarum omnium difficillimam, ut ex pauciſſimis Radicibus 1867. juxta Computum Cl. Buxt. manaſſent *vocabula* 1847912. ſive *octies centena millia, quadraginta ſeptem millia, nongenta præterea duodecimq;.* (a) Sed ordinatiſſimus Autor, Deus, & ſimpliciſſimus, in paucas contraxit, ut Lingva

z) S. Hieron. Epiſt. XXV. a) prolixum computum vide ap. Jeſuitam Anton. Jordin. à S. Flor. in præfat. Rad. Ebr. p. 10. ſeq. † Objectio I. Difficultas. * Reſp.

Lingva hæc ſit ſimpliciſſima, & ad ipſius dignitatem, pertineat, *unam vocem Ebræam tanti eſſe, quanti plurimæ Latinæ & Græcæ; ſicuti unus aureus nummus multis argenteis æſtimatur.* (*b*) v. g. una vox נָכָה æqvivalet VII. Latinis & XIII. vocabulis Græcis, ſc. *percutiebat, percuſſit, percuſſerat, percuteret, percuſſerit, percuſſiſſet, percutiet.* ἔτυπτε, τέτυφε, ἐτετύφει, ἔτυψε, ἔτυπε, τύπτοι, τετύφοι, τύψαι, τύποι, τύπτῃ, τετύφῃ, τύψῃ, τύπῃ. Poſito autem, difficillimam eſſe? Non difficultatis; ſed neceſſitatis hîc pugnent argumenta. Videte Antiqvarios, qvantâ hi cum difficultate deſudent in veteribus Inſcriptiônibus, qvæ tamen, ſi comparentur cum hâc Lingvâ, qvid proſunt? Profano, obſcæno, gentili Scriptori multas litamus bonas horas, licet difficiliori; nec deterret nos difficultas Plauti, *cujus*, inqvit Biſſelius (*c*) *qvi profiteatur, ſe absq; vanitate vel unicum, ex integrâ ferè Pœnuli ſcenâ verſum interpretari poſſe, qvis eſt hodiè, qvi profiteatur, cum nemo nunc, ne obiter qvidem aſſeqvatur, qvid ſit: Nythalonim valôn uthſi corathiſſima conſith?* Si difficilibus & gentilibus Autoribus tantùm tribuimus; cur non & lingvæ Ebrææ Sanctiſſimæ, multoq; faciliori?

† (b) *Verſiones* qvod attinet (1) *nulla eſt authentica.* Dedecoroſum autem pernicioſumqve eſſe Conſecraneo Theologiæ, fidem ſuam reſolvere in verſiones hominum, errori obnoxias, docui ſuprâ. (2) *nulla eſt adæqvata*, nec poteſt originalis ſenſum exprimere ad amuſſim. Hinc Ben Sirach (*d*) excuſat ſe, qvòd in verſione Græcâ [originale enim Ebræum erat] coactus fuerit τῶν λέξεων ἀδυναμεῖν. οὐ γὰρ, qvæ ipſius ratio, ἰσοδυνα-

b) ibid. p. 12, 13. c) Decad. I. Illuſtr. Ruinar. in Turri Babel. p. 370. d) Prol. Sirac. † Object. II. Verſiones Reſp.

δυναμεῖ τὰ ἑβραϊστὶ λεγόμενα, ὅταν μεταχθῇ εἰς ἑτέραν γλῶσσαν i. e. *non enim æqvè valent illa, qvæ, cùm Ebraicè dicta ſint, transferuntur in aliam Lingvam.* Ad qvæ verba *Druſius*: *Admittite*, ait, *hoc in aures veſtras, vos, qvi Lingvarum ſtudium negligitis.* Et *Camerarius* noſter: (*e*) *Hæc ſententia*, inqvit, *omnes in hâc copiâ doctrinæ pietatis ſtudioſos impellere debet ad ſtudium Lingvarum. Qvamvis enim* (NB) *converſio aliqva bona & ſplendida ſit; tamen fieri non poteſt, ut natura alterius ſermonis penitùs exprimatur &c.* paulò poſt *verſiones Papiſticas* vocat *vomicas & Scabiem doctrinæ, qvam ignavi & inertes, qvaſi rem magnam accipiant.* Argumenta Politica urgere nolo. Vide qvomodo *ex Hyppolyto a Collibus* (vel potiùs *Eberardo à Weyhe*, qvondam Profeſſ. Witteb.) (*f*) exemplum *Themiſtoclis*, non priùs ſalutantis Perſarum Regem qvàm Perſicum addidiciſſet ſermonem, & alia multa hûc poſſent transferri. (3) *Verſiones variant.* Qvomodo igitur Tibi conſtabit: utra rectè, inter tot diſſentientes, ſentiat v. g. (*g*) *Vulgata* legit: *dabit impios pro ſepulturâ, & divitem pro morte ſuâ.* Tremellio Jun. *expoſuit improbis ſepulchrum ipſius, & diviti in mortem ſuam.* Ariæ Mont. *dedit cum impiis ſepulturam ejus, & cum divite inter mortuos ſuos.* B. Luth. Er iſt begraben wie die Gottloſen/ und geſtorben wie ein Reicher. Qvam putas hîc eſſe veram, inter tot diſſentientes? Qvid reſpondebis objicienti: *B. Luth. verſionem eſſe contradictoriam, cùm ex Hiſtoriâ Paſſionis conſtare videatur: Chriſtum ſepultum ut divitem, & mortuum ut impium?* (4) Qvid de verſionibus dicant Viri Summi, ſodes, attende: B. Luth. (*h*) *Video*, inqvit, *qvid poſſis objicere: qvid pro-*

e) ad eund. *f*) Conſiliar. p. 240. ſeq. *g*) Eſa. LIII. 9. *h*) Tom. VII. Lat. Witteb. fol. 441. Tom. II. Germ. Jen. p. 458.

proderunt Ling. Ebr. Gr. annon poſſumus Biblia in vernaculam transfuſa legere? Reſpondeo, pergit, *jam pridem noveram, nos Germanos non niſi beſtias manſuros.* Ja ich weiß leider wol/ daß wir Teutſchen müſſen immer Beſtien und tolle Thiere ſeyn und bleiben. Qværit deinde, cur non etiam ita colligant: *Quô nobis ſericum, byſſus, purpura, vina exotica, pulveres aromatici, cùm Regiones noſtræ proferant copiam vini, frumenti, lanæ & lini.* Hæc B. Luth. cui gemella, ad eandem objectionem ignavorum, reſpondet Martin. *Erue igitur,* inqviens, *etiam Tibi oculos,* qvia ſc. te alius poteſt ducere.

† (c) Idem de Commentariis intelligendum. Ipſi enim non ſunt infallibile Verbum Dei, ſed ſæpiſſimè ceſpitant et fallunt. Unde ergò ipſos corriges? Sunt *varii* & *pugnantes.* Unde, qvæſo, de illis judicabis? Raró vocum Emphaſes exprimunt, & in plurimis non poſſunt. ... nè Tu illis carebis? Multa in illis, & potiſſima, ſunt ...χνικὰ, qvæ absqve cognitione ejus, in qvam commen...tur, Lingvæ, non aſſeqveris. Si firmiter te putas ...lligere: non opus eſt Ebræâ Lingvâ, qvia in illam ſunt ...lti Commentarii; Tandem conclude: non opus eſſe ...â Scripturâ Sacrâ, qvia multi, in illam, extant Com...ntarii: Ergonè, tuo judicio, plane eſt abrogandum ...rbum Dei?

Ex dictis autem conſtare opinor, *utilem, & per quàm neceſſariam eſſe, Conſecraneo Theologiæ, Ebrææ Lingvæ ...dium,* qvod tàm eſt verum, ut etiam *Lojolitæ,* licet id ...dium, ipſorum Pater, Ignatius, planè prohibuerit; tamen fateri cogantur *(l) Profeſſores Lingvarum ...ginalium, earundemq; Lingvarum notitiam, ad intelligen-*

B 2

(k) Præfat. in Technol. (k) ap. Ribadeneiram in Vit. Lojol. l. V. c. X. p. 627. (l) Jeſuita Gvil. Eſtius ad I. Cor. XII. 10. † Objectio III. Comment. Reſp.

telligendas Scripturas, perutilem, atq; adeò neceſſariam eſſe. Cùm igitur talis Profeſſio mihi obtigerit & uſu ſit receptum, prælectionibus ut, dicendo ex Cathedrâ, aliqvid præmittatur: id etiam mihi dictum intellexi. Conſtitui ergò apud me (ut Statutis & voluntati pl. Rev. & Ampliſſimæ Fac. Theologicæ geram morem) ipſis Kal. Octobris, ab horâ IIX. matut. in Auditorio, Majoris PP. Collegii, inferiore, qvædam ex publicâ dicere Exedrâ. Promitto autem materiam jucundam, à meâ tamen Profeſſione non alienam: qvid ſcilicet fuerit, in Pectorali Summi Sacerdotis, qvod Scriptura Sacra vocat *Urim & Tummim.*

MAGNIFICUM igitur ACADEMIÆ RECTOREM, cæterosqve UTRIUSQVE REIP. PATRES CONSCRIPTOS, PROCERES & CIVES, VIROS, Maximè Reverendos, Magnificos, Ampliſſimos, Conſultiſſimos, Experientiſſimos, Excellentiſſimos Clariſſimosqve, Dominos DOCTORES, LICENTIATOS & MAGISTROS, eâ, qvâ decet, animi ſubmiſſione, reverentiâ, officioſitate & promptitudine, veneror, & oro: ut, ſepoſitis, interibi, gravioribus curis, mihi, de eâ materiâ, breviter, dicturo, corpore & animis *dictâ I. Octob. die, finitis ſacris matutinis*, aſſint. Ejus honoris & lubentiæ factus, ut benè ſpero, compos, nil facturus ſum reliqvi, in animi tùm obſeqvio, tùm officioſitate, ergâ qvemlibet, declarandis. Gratitudinis, porrò, memor, id enixam dabo operam, ut pauxilli temporis hujus jacturæ neminem Eorum, qvi benivolè me audiêrunt, unqvàm qveat pœnitere. De *Studioſæ Juventutis* verò promptitudine, ut nullus dubito; ita, ſpontè ſuâ affuturam rogare multum, nunc qvidem videtur Supervacaneum. Cui ut,

pro-

propterea, de favore & induſtria mea, conſtet proporrò, recipio hîc, me non habiturum id perinde. Faxit verò (qvæ votorum meorum ſumma eſt) DEUS, ut, qvô ſucceſſu olim Witebergæ Ebræas Literas docuit Egranus AVENARIUS; eodem Lipſiæ easdem Egranus alter, SCHERZERUS, omninò profiteatur! B. V. R. G. P. P. die XXVI. Septemb. LIPSIÆ An. cIↄ Iↄc LIIX.

Programma II.
DECANUS COMMUNITATIS ARTIUM IN ACADEMIA LIPSIENSI PARENTALIA Dn. D. Abrahamo Tellero, b. m. *ad diem Mercurii, 9. Nov.* habenda indicit.

OLLUS LETHO DATUS EST, vox erat, ut literis eſt proditum, qvondam in funeribus, Præconum: Vox, ſanè, ſi VARRONEM per omnia ſuſpiciamus, ipſa potius funere digna. Hâc enim, ignoſcite ſic loqventi, vivente, vita noſtra, ut ſit longæva, erit mortua, hâc moriente, vel mors ſic vivet noſtra. LETHUM M. qvem nuncupavi, VARRO ἀπὸ τῆς λήθης & oblivione dictum eſſe tradit, qvòd, qvi exceſſerint vitâ, in perpetuam abire conveniat oblivionem. Concinit truculenta ſententia PLAUTI: (qvam, non niſi in TRUCULENTO dicier, oportebat.) DUM VIVIT, HOMINEM NO-

VERIS, DUM MORTUUS EST, QVIESCAS, & qvod POMPON. ATTICUS apud TULLIUM (*a*) protulit, proverbium: VIVORUM MEMINISSE OPORTET. Sive enim id ATTICUS joco, ſive dixerit ſeriò, ex mente tamen eſt itâ locutus eorum, qvi mortuos laudare, aut eorum meminiſſe, putabant ominoſum. Abſit verò, ut nos vel cum his, vel cum Præconibus, VARRONIANO interpretamento, dicamus: OLLUS LETHO ET PERPETUÆ DATUS EST OBLIVIONI. Nam Ecce Tibi, omnes Gentes, Nationes, Populos, GRÆCOS & BARBAROS, EBRÆOS & ROMANOS (non enim GRÆCORUM ita indulgemus typho, poſteriores uti Hos ſpeciem intrâ BARBARORUM intromittamus.) Univerſos in memoriâ, laude, honore mortuorum totos. Nonne vel figunt obeliſcos, vel texunt panegyricos ἐν πϱοδείπνῳ portâve? (qvod ultimum, eſt, qvi ex his TULLI (*b*) verbis: *non elogia monumentorum id ſignificant, velut hoc ad portam*. & ex SCALIG. ad FESTUM in *Conlucare*, LIPSIOQ. (*c*) conjectet.) nonnè vel inſtituunt pompas, vel excitant Cippos, cudunt numos, accenduntve (inter ipſos etiam BENIANOS) perpetuas faces? ut videatur loqvi non tâm cadaver mortem, qvàm triumphus ipſe vitam. Moleſtum foret, promptiſſimam licet materiam, ſatis hîc obire, ad ſolum hoc Proverbium, in non vulgares, & qvi plus vulgo de cœlo trahunt, dictum Viros, ἄξιος τοῦ πέπλου, pedem paullò ſtatuenti: ſi, tot inter Antiqvitatis delicias, facilius eſt, prenſare difficilimum, qvàm id qvod facilimum videtur, deligere ſibi. Ariſtophani id, cujus mentionem modò feci, eſt, in EQVITIBUS uſurpatum, his verbis: Εὐλογῆσαι βουλόμεσθα τοὺς πατέρας ἡμῶν, ὅτι

a) de Finibus V. *b*) l. 2 de Finib. *c*) 1. Elect. 6.

ὅτι ἄνδρες ἦσαν τῆς δὲ γῆς ἄξιοι καὶ τῦ πέπλυ. *Peplum* LUTATIO, STATII Interpreti, veſtis eſt candida, clavis aureis picta, &, qvòd ſimulacris fieret, ſine manicis, vel, ut SUIDÆ locum WOLFIUS circumloqvitur: *peplum* eſt Velum Panathenaicæ navis, qvam Athenienſes MINERVÆ, qvarto qvôqve anno inſtruebant, cujus etiam Pompam per *Ceramicum Eleuſinem* usqve ducebant. Apud ERASM. ad Proverbium: Ἀκέσεως καὶ ἑλικῶνος ἔργα, ACESEUS *Patarenſis* & HELICON *Caryſtius*, primi, PALLADIS *Poliadis* ſtatuuntur texuiſſe Peplum. Huic Peplo Optimorum Virorum & qvi, Virtutibus clari, uſui Reipublicæ fuerant, nomina intexebantur: qvi tantus erat honor, ut MARO MESSALÆ ſatis ſe defunctum laudibus putet, ſi geſta ipſius *magno* curârit *intexere Peplo*. Peplo, *inqvam*, cujus vel ſola appellatio qvidqvid usqvam in defunctos, extat laudis, deſignat, & ſufficienter evolvit, cur, qvem de Heroum tumulis confecerat, librum, Philoſophus noſter *Peplum* vocârit. Sic igitur huic natales ſuos debuit Ritui, cujus meminimus, Proverbium: ἄξιος τῦ πέπλυ, qvod, qvinam, ut ſic loqvar, CANDIDATI fuerint PEPLI, ſimul apertè clarat. Hunc verò aliosqve, defunctis, decreverant honores, Antiqvi, non externi ſplendoris ergò; ſed planè ad mentem illius Philoſophi: *laudem mortuorum eſſe qvoddam qvaſi ſemen, ex qvo vivorum Virtus haberet vel ſuccum, qvo vigeret, vel vim, qvâ viveret æternùm*. Sic enim eſt, ut, qvantam virtutis vellent in poſteris ſpeciem nitere, tantum honorem Virtuti Majorum habendum cenſerent antiqvi. Vivit præſentibus virtus in laude mortuorum, ut qvantam de natis obſcures laudem, tantam vivis detrahas virtutem. Cadavera ſepelimus, aut

feralibus abſumimus flammis; his imus exeqvias, non virtuti, qvæ per mortem demum qvaſi naſcitur, & vetat, in poſterorum animis, mori eum, qvem oculis viventium ſubduxêre fata. Qvæ & alia magnum permovere PLATONEM, ut (*d*) in qvalibet benè conſtitutâ Republicâ non Viris tantùm; ſed & Fœminis voluerit haberi *publicas Parentationes*. Viderat enim, his intermiſſis, & defunctorum ſic ſepoſitâ omni recordatione, vel nullos, vel paucos futuros Cives, id eſt (ex iſtius doctrinâ) Viros in Rep. bonos. Ad ſolam verò virtutem (qvicqvid etiam de Elyſiis gaudiis intercurrerit olim conjecturæ) ut reſpexêre gentiles, & fidei myſteria non tincti mortales; ita, qvibus melior Lux revelationis affulſit, in ſpem, inſuper, melioris vitæ, defunctis præconia paramus, & pleroſqve ritus ſymbola & interpretes damus futuræ Reſurrectionis, exemplo, ſi & Prophetæ, Cantores Cantatriceſqve Regibus threnos & laudes dederunt, conſtitueruntqve לחק in ſtatutum, ut ſc. anniverſaria ſervetur memoria, (conſule, hîc, Interpretes Ebræos) non novo aut recenti. Qvem, verorum Iſraëlitarum morem, hodierni qvoqve *Pſeudo Judæi*, & חומץ בן יין *acetum* (generoſi) *vini progenies*, nondum depoſuerunt, ut vel ex ſolo *Libro Minhagim* docemur: ſicuti qvotidianam defunctorum ſervari memoriam etiam ex vulgatiſſimâ eorum apparet conſvetudine: mortuorum, ſine hâc aut ſimili euphemiâ: זכרונו צדיק לברכה *Memoria juſti ſit in benedictione*, nunqvàm meminiſſe, qvòd & virtus denatorum id mereatur, & Spes futuræ vitæ ſuo depoſcat jure. *Illius* damus argumentum ex *Talm. Hieroſol.* (*e*) אין עושין נפשות לצדיקין דבריהם הם זכרונם i. e. *Non facienda ſunt monumenta* (cippi) *defun-*

d) X. de LL. *e*) c. II. Schekal.

defunctis: Verba ipſorum ſunt monumenta ipſorum. Senſus eſt: potiùs virtutes defunctorum eſſe laudandas jugiter, qvàm Cippos ſuper ſepulchris excitandos, ut colligitur ex fine cap. citati. Reſurrectionis autem ſpei egregium volunt extare documentum, dum, domum, è cœmiteriis, reverſuri, evulſa ter retrojiciunt gramina, acclamantes Divini Scriptoris illud: florebunt ac germinabunt inſtar graminis terræ. Et lippis ac tonſoribus eſt notum, impensè eosdem cavere, ne בתי מיתים *loca mortuorum*, ſed potius בתי חיים loca vivorum nuncupentur, qvod vel ſolum imperitiorum vocem: Ebræos negare Reſurrectionem, retundit. Qvæ & alia cum abundè doceant, æqvum eſſe, ut Virorum, qvorum multa in Remp. merita extitêre, memoriam non cum corpore ſepeliamus; ſed reportemus nobiſcum domum: non abs re eſt, qvod *Vir Juvenis Præſtantiſſimus & Eruditus* Dn. ANDREAS GLAUCHIUS *Lipſienſis LL. Art. Magiſter, & Sacrarum Literarum Studioſus*, ejus gratiâ *ad futurum Mercurii diem, Sacris finitis*, horam nobis paret feriatam. Recolimus enim, non ſine juſto ſenſu, anno abhinc, hiſce Terris, Reip. Literariæ, Eccleſiæ, & nobis omnibus, ereptum eſſe, Virum, qvoad viveret *plurimùm Reverendum, Ampliſſimum Excellentisſimumq;* Dn. ABRAHAMUM TELLERUM, *S. S. Th. Doctorem celeberrimum, Eccleſiæ, ad D. Thomæ Paſtorem, Conſiſtoriiq; Eccleſ. Aſſeſſorem meritiſſimum*: Cujus qvôd etiam, apud nos, vivant memoria, & ſummæ, qvibus claruit, virtutes, futura Panegyris, ut nil hîc, itâ brevibus, præoccupemus, ſolenni eſt interpretamento datura. Fuit nimirum Vir ἄξιος τοῦ πέπλου & dignus, propter eâ, cujus nomen æternitatis intexatur peplo, anniverſarioq́ve hoc Sermone memo-

ria recolatur, ut ſic TELLERIANUM NOMEN ſubinde reflorefcat, & recordatio ejus ex animis noſtris nunqvàm excutiatur. Ut verò *Magnificus Academiæ* RECTOR, UTRIUSQ. REIP. CONSCRIPTI PATRES, NOBILISSIMIQ. DNN. STUDIOSI, futuro Panegyriſtæ, (cui octo annorum Patronus obiit in TELLERO) *ad dictum Mercurii diem IX. Novemb. horâ IIX. matut. in Acroaterio, Majoris Collegii, inferiore*, à curis & Studiis interibi feriati, modici temporis impertiant uſuram. & Magnificâ, ſplendidâ, honorificaqve præſentiâ Actui huic ſint à ſolennitate, debitâ reverentiâ & Studio, qvâ par eſt, enixim & non perindè contendo. B. V. R. G. P. P. XXIII. poſt Octavam Pentecoſtes, Æræ Chriſtianæ cIↄ. Iↄc. LIX.

PROGRAMMA III.
DECANUS COMMUNITATIS ARTIUM, IN ACADEMIA LIPSIENSI ORDINARIAM ORATIONEM, DE MESSIA, CONTRA JUDÆOS, Ipsâ Vigiliâ Nativit. *HABENDAM* indicit.

NE conqveri, de nobis, moderni Judæi, qveant, qvaſi, à fide & integritate Majorum ſeceſſionem, injuriâ, ipſis objiceremus; juvat domeſtico-

ſticorum teſtimonia nonnulla ex variis Ætatibus, *ante - Talmudicâ nimirum*, *Talmudicâ*, & *poſt - Talmudicâ* exponere Soli. *Centum* ipſum Talmud *annis* anticipans, & maximæ Autoritatis Liber *Breſchis Rabba* (*a*) nomine R. *Chaia* ait: בוא וראה כמה בין ראשונים לאחרונים: id eſt, *Veni & vide, qvantum interſit inter priores & poſteriores*, ſcil. ut duabus lineis ſubnectit: צפורן של אבות ולא כריסן של בנים: id eſt, *Ungvis Patrum & non Venter filiorum.* Qvæ eleganter exponit *Mattános Kehóna* his verbis:

טוב היה הצפורן של אבות שמוא הטפל והמותר שבהם מן הכרס של בנים אעפ שהוא העיקר ורוב שבהם:

id eſt, *melior fuit ungvis Patrum & Majorum, qvi fuit* (tamen) *tantùm* περιττός τι *& redundans in illis, præ ventre filiorum, qvamvis ſit fundamentum, & pars eſſentialis in ipſis.* Ipſum *Talmud*, (*b*) ſimiliter ingenuè fatetur: אם ראשונים בני מלכים אנו בני אנשים ואם ראשונים בני אנשים אנו כחמורים id eſt, *Si priores filii Regum* (fuerunt) *nos* (ſumus) *filii plebejorum: qvòd ſi Majores filii plebejorum, nos* (perfectò erimus) *inſtar Aſinorum planè.* Prodeat ex *poſt-Talmudicâ ætate* ille, qvi eruditorum diverbio *ſolus inter Suos ineptire deſiit*, & qvem verbum Ebræorum celebrat: שממשה עד משה לא קם כמשה *qvòd à Moſche ad Moſchem non ſurrexerit, ſicut Moſche, Majemonides is* eſt, celebris Cordubenſis & Experientiſſimus (antè ſecula qvinqve) Regis Ægyptii Medicus. Is igitur (*c*) poſtqvam verba Jeſai. XXIX. 14. (*faciam in*

a) Sect. XLV. fol. m. L. col. 4. ſub fin.
b) *Maſſichtâ Schabas* fol. CXII. colum. 2.
c) Præfat. elegantiſſimâ Arabicâ in *Séder Dſerájim.*

in populo iſto mirabile, peribitq́ʒ ſapientia Sapientum ejus, & intelligentia intelligentium ejus abſcondet ſe) ad ſui temporis Judæos accommodâſſet; poſt hæc verba, (*qvidergò de nobis dicendum, cùm, præterqvam, qvòd à nobis defecerit Scientia & Sapientia*) ſubdit: אכֿתץ
כל ואחד מנא בארבעה אשיא צֿעף אלעקל
וקוה אלשהוה ואל כסל ען טלב אלעלם ואלנשאט
אל טלב אלדניא ארבעת שפטי הרעים כיף
לא ננסב אלנקץ לאנפסנא באלאצֿאפה אליהם:
Unicuiq́ʒ noſtrûm propria ſunt qvatuor: imbecillitas ingenii, concupiſcentiæ prævalentia, deſidia in acqvirendâ ſcientiâ, & (contrà) in acqvirendis mundanis, ſolertia (qvatuor præjudicia mala) qvomodo non attribuemus nobismet ipſis ad eos (ſcil. Majores) *collatis, defectum?* Damus ſuccenturiatorem è junioribus, qvi ſeculo abhinc floruit Exul Hiſpanus, in Italiâ, Patavii, *Iſaacum Abrabanielem*, (*d*) בוא וראה מה בין דורות
הראשונים לדורות האחרונים הראשונים
שעשו תורתם קבע ומלאכתם עראי זה וזה
נתקיימו בהם אחרונים שעשו תורתם עראי
ומלאכתם קבע זה וזה לא נקיים בידם.
i. e. *Veni, & vide, quantum differant tempora antiquiorum à recentiorum. Antiqviores enim ut ἔργον tractârunt Legem, reliqua negotia ut πάρεργα; & propterea utrumq́ʒ in ipſis ſtabilitum fuit; Recentiores, contrâ, negotia, ut ἔργον, Legem, ceu πάρεργον, tractant: Unde etiam neutrum ſtabilitur in manibus eorundem.* Ecce jam, qvàm benè in ipſum *Abarbinelem* qvadrent anti-

d) In *Nachalas Afos* (qvem Librum, in recenſione ejus Scriptorum omiſit *Alſtedii Chronologia*)

tiqvorum Talmudiſtarum, (*e*) proverbia, qvæ de *Oba-* *i Edomitâ* dicunt,& ipſe qvoq; adducit: (מיניה וביה אבא נזיל בי כרג *ex ſe, in ſe, ſylva, ſi induatur ſe-* *ri* (ſcil. redit), & *R. Dimi* ירך מתוכו מסרחת eſt, *Femur* (mendosè enim ap. *Abarbinel.* legitur ירך) *ſe ipſo incipit putreſcere*: qvando nim. *Judæi* con- à *Judæos* teſtimonia perhibent, qvo in negotio ſunt ſtes veriſſimi, qvod vel ſolâ, *de MESSIA* doctrinâ præſentiarum oſtendimus. Qvantum ille Articulus, *Fide Judaicâ*, valuerit, cùm totum totius fuerit, pro- atione non eget. Id qvod, ne *poſt- Talmudici* qvi- em, unqvam vocârunt in dubium, qvibus inter XIII. עיקרים i. e Articulos (qvos circâ Ann. Domin. 1200. Chriſtianorum Symbola imitatus, *Moſes Ægyptius* col- egit.) XII. eſt *Credere oportet, eſſe tempus, qvo Meſſias adveniet, qvi licet adventum differat, tamen eſt expe- ctandus.* (*g*) Sed qvid ad hæc dicunt alii, ab Anteceſſo- rum & Majorum fide planè degeneres? Producimus *R. Joſ. Albu* Hiſpanum, *divinum*, ex contribulium mente, *Philoſophum*, qvi floruit A. C. 1400. (*h*) Is car- pit vehementer *Majemonidem*, qvòd inter Articulos Fidei MESSIAM retulerit. *Non*, inqvit, *applicuit homo iſte animum, ut intelligeret, qvid ſit vox* עיקר, *& qvid propriè deſignet.* Et qvod majus eſt, negat, *ul- lum vaticinium, in Lege & Prophetis, reperiri*, qvod ne- ceſſariò de ipſius adventu debeat intelligi; ſed credi tan- tùm per traditionem ait. Ut proinde jam Articulus de *Meſſia* non *Judaicæ*, ſed *Chriſtianæ Religionis* ſit funda- mentum, qvod unum eſt. Ad Vetuſtiores autem ſi re-

trogre-

(*e*) In *Gemârah Sanhedr.*
(*f*) In Comment. pag. CCLIV. col. 3.
(*g*) Vide etiam Probl. I. de Creat. *R. Menaſſ. B. Iſr.*
(*h*) in Lib. I. *Ikkarim ſ. de Fundam. cap. 3.*

trogrediamur, illi fatentur, tantùm non omnia, qvæ Chriſtiani citare ſolent, Loca, *de Meſſiâ* evidenter agere, eademqve *Majores* ipſorum unanimiter de Eodem expoſuiſſe, qvod non piget unô ſaltim & alterô oſtendere exemplô: (A) De *Pſalmo* II. Liber ſupra citatus, & *ipſo Talmude antiqvior*, *Breſchis Rabba*, (*i*) hæc diſertè loqvitur: אמר ר׳ יונתן שלשה הן ש״אמר בהם שאר־ ואלו הן שלמה ואחז ומלך משיחנו: שלמה דכתיב בגבעון נראה ה׳ אר־ שלמה בחלום הלילה ויאמר אלהים שאל מה ואתן לך: אחז דכתיב שאל לך אות מעם ה׳ מלך משיחנו דכתיב ביה שאל ממני ואתנה גוים נחלתך: id eſt, *R. Jonathan dixit, tres ſunt, qvibus dictum eſt*, Poſtula, *videlicet* Salomoh, Achaz *&* *Rex* Meſſias *noſter*. Salomoh, *qvia ſcriptum eſt* (*k*) *In Gibeon apparuit Dominus Salomoni, in ſomnio nocturno, dixitq;*: Poſtula, *qvod dem tibi*. Achaz *qvia ſcriptum eſt* (*l*) Poſtula *tibi Signum à Domino*. Rex noſter Meſſias *qvia de eo S. E.* (*m*) poſtula *à me*, *&dabo Tibi gentes hæreditatem tuam*. Poſtmodùm ipſum *Talmud*, (*n*) Pſalmum ſecundum de Meſſiâ exponit, ſicuti etiam ילקוט (*o*) ut nîl de aliis dicamus, cùm id adeô ſit manifeſtum, ut ne *Raſchi* qvidem id negare audeat. Sic enim ille ad Pſ. II. רבותינו דרשו תא הענין על מלך המשיח ולפי משמעו נכון לפותרו על דוד עצמו id eſt, *Doctores noſtri expoſuerunt de* Rege Meſſiâ, *at verò, juxta ſenſum ejus literalem, præſtat, interpretari ipſum de* Davide *ipſo*. Sic legunt exemplaria noſtra, *Baſileenſe* Buxtorfii, & *Veneta*

i) *Paráſcha* XLIV. fol. m. XLIIX. col. 2. fin.
k) 1. Reg. III, 5. (*l*) Iſa. VII. 11. (*m*) Pſal. II.
(*n*) *Maſſichta Súcca* cap. V.
o) ad Pſal. cit. & cap. III. v. 5. I. Reg.

Veneta recentiora, qvod, ob mox dicenda, obſervandum. Poſt ipſum R. D. *Kimchi* idem fatetur, verba hæc ſunt: יש מפרשים זה המזמור על גוג ומגוג והמשיח הוא מלך המשיח וכן פירשו רז״ל אבל זה קרוב הוא כי אלרו דוד על עצמו: i. e. *qvidam exponunt hunc Pſ. de Gog & Magog, & Chriſto, qui eſt Rex Meſſias, ſicuti & interpretati ſunt Doctores noſtri: ſed propius eſt, dixiſſe ipſum* Davidem *de ſeipſo. Aben Eſra*, præterqvàm, qvòd etiam de Davide intelligat, ſubjungit ſola hæc verba או על המשיח id eſt, *aut de Meſſiâ*, reticens ſubdolè: Majores ita fuiſſe hunc Pſalmum interpretatos. Qvæ cum itâ ſint, cur, qvæſo, maledicentiſſimus *Lipmannus Nizzach.* (p) adeò in Chriſtianos debacchatur? cur non in *Rabbinos* ſuos ſputa hæc putida evomit? Ut proinde mirum ſit, qvà fronte & id tentet. & præthereà qvâ conſcientiâ hæc ſubjungat l. c. לשון ילידתיך איננו שייך כא על האם היולדת הבן אבל על אביו צריך לומר הולדתיך id eſt, *Vox* ילדתיך *non qvadrat niſi in matrem parientem filium, de patre autem oportet dicere* הולדתיך. Qvæ deſperabundi verba vel ſolum cap. IV. Gen. refutat. qvoties enim ibidem dicitur τὸ ילד de maribus? v. g. *Methuſala* ילד *genuit* &c. vid. Proverb. XXIII, 22. *Auſculta Patri, qui* ילדך *genuit te.* (A) Qvid de loco Zach. IX. Veteres & recentiores ſentiant, pariter conſiderandum. *Rábbos*, (q) itâ: חמור זה מלך המשיח שנא׳ עני ורוכב על החמור וגו׳ id eſt, *quæ de aſino dicuntur, reſpiciunt ad Regem Meſſiæ S. S. E.* (r) *Pauper & ſedens ſuper aſinum.* Idem (s) ubi conſtantiſſimè

p) Num. רע pag. DXLIIX. q) *Seder Vajiſchlach Sect.* LXXV. fol LXXXIV. col IV. init. r) Vach. IX, 9.
s) lege fol. CX. col. 3. CXIII. col. 2.

mè aſſeritur *per Seſſorem aſini intelligi Meſſiam.* qvod & *Mohammadani non diffitentur.* (*t*) Recentiores tamen de *Zorobabele* vel *Juda Maccabæo* exponunt, licet alii, vid. Raſchi, (qvi ait: אי אפשר לפותרו אלא על מלך המשיח id eſt, *impoſſibile eſt, ut* (hic locus Zach.) *de alio, qvàm Meſſia exponatur*) & *Abarbinel* (*u*) nobiſcum faciant. Non igitur curamus calumniatorem *R. Lipmannum* (*x*) dicentem: nullam aliam Chriſtianos habere cauſam de Meſſia exponendi, qvàm שעל כתפות החמור נראית כשתי וערב id eſt, *qvia ſuper ſcapulis aſini appareat forma crucis.* (C) Eſai. IX. 6. verba, *Puer natus eſt nobis*, Liber *Rabbos* iterum de *Meſſiâ* exponit (*y*) להעמיד מלך המשיח שכתוב בו כי ילד יולד לנו id eſt, (qvibusdam præmiſſis) *ad conſtituendum Regem Meſſiam, de qvo ſcriptum eſt* (*z*) *Puer natus eſt nobis.* Vide verò, qvàm ſe torqveat *Abarbinel*, ut de *Hiskiâ* dictum exponat, (*aa*) Sed *Abarbinel* ex *Abarbinele* refutari poteſt. Ita enim idem in *Libro* משמיע ישועה (qvi ex profeſſo de Meſſia ſcriptus eſt, & digniſſimus, cùm à nemine Chriſtianorum hactenus ſit refutatus, qvi Latinitate donetur. (*bb*) Pſalmum LXXII. על מלך המשיח *de Rege Meſſiâ*, & non, cum contribulibus, de Salomone exponit, *qvia æternæ pacis ibi fiat mentio.* At verò ejusdem etiam meminit Iſaias. (*cc*) Pariter *Lipmannus* (*dd*) tumultuatur, & pro Hiskia pugnat contrà Meſſi-

t) Vide *Hakſpan. Nizzach.* pag. CCCCI.
(*u* fol. CCXC. col. 1. *x*) Nizz. Num. רסב
y in *Seder Defar.* fol. רפז col. 3. *z*) Eſai. IX.
aa) Comm. ad *Iſai.* fol XXIII. col. 1. med.
bb) fol. LXXIIX. colum. 3. à lin. 6. *cc*) l. c.
dd) Num. רכו p. 125.

Meſſiam, niſu pariter evanido, qvod prolixius non deducimus, contenti hoc ſolo, qvòd demonſtraverimus, inſtituti ratione, qvomodo à Majorum fide planè defecerint recentiores. Ex qvibus qvæſtio Magiſtralis ſubnaſcitur: *an ſic liceat junioribus deſerere doctrinam Rabbinorum antiqvorum?* Sanè ſanctiſſima apud eos eſſe debet iſtorum Autoritas, adeò, ut ſi contradictoria ſtatuerent, *dextramq́; dicerent eſſe ſiniſtram, (ee) tamen credendum eſſet illis.* Qvid, qvod contrà pluralitatem votorum antiqviorum ne *Vox* qvidem *cœlitùs delapſa*, qvam בת קול *Bas Kol* appellant, aliqvid valeat, ut expreſsè Lipman. *(ff)* ex Talmunde refert: אין משגיחין בבת קול id eſt, *non attendunt ad Vocem cœlitùs delapſam. (gg)* Cur igitur in locis commemoratis Conſenſum antiqviorum deſerunt? Reſpondet *Raſchi (hh)* id fieri לתשובת המינים, *ut reſponderi poſſit Minæis ſive Chriſtianis.* Habemus igitur egregium compendium nimir. *etſi textus reclamet, etiamſi Majores ad unum contrâ ſtatuant omnes, etiamſi etiam Vox cœlitus delapſa hanc interpretationem veram pronunciet, tamen Judæis non eſſe admittendam, ſed impunè poſſe rejici* לתשובת המינים *vel ſolâ hâc de causâ, ut poſſint reſpondere Chriſtianis.* Qvid jam non fiet, hoc bruto principio admiſſo? qvis antiqviorum itâ potuit inſanire? At, inqvis, illa *Raſchi* verba (לתשובת המינים) in noſtris exemplaribus non reperiuntur. Fateor. Sed obſervarunt Eruditi *(ii)* dolo Judæorum eſſe eraſa. Id qvod ulte-

ee) Juxta Raſchi ad Deut. XVII. 11. אפילו יאמרו לך על ימין שהוא שמאל ועל שמאל שהוא ימין וכו׳ *ff)* Num. שכא *gg)* Vide ibid. pluribus. *hh)* ſuper Pſal. II. loco ſuperiùs citato. *ii) Pocok. Notis Miſcell. ad Portam cap. IIX.* pag. 307. ſeq. ex *Oxonienſi Bibliothecâ.*

ulterius de ingenio Judæorum diſpiciundi egregiam ſuppeditaret occaſionem, item de ſimilibus depravationibus aut ſuppreſſionibus nonnullorum Scriptorum Rabbinicorum, ſicuti exemplum habemus in *Nizzachon Lipmanni.* Facilimè enim ſupprimi potuerunt Libri, præſertim MSti, Chriſtianis Ebræa neſcientibus, aut negligentioribus. Ut vel hæc ſola ratio mitiùs pronunciare ſvadeat de *Petri Galatini* (ſive potiùs *Pugionis Fidei* Reymundi, ex qvo iſte ſua tranſcripſit) *Arcanis*, qvàm olim qvidam, ad *Mochingerum* Dantiſcanum, ſcripſit 1623. *Placuit inqviſitio in Pet. Galatini largè effuſa Arcana, qvibus & mihi olim, & multis adhuc Viris doctis, fucum fecit, jactitans: multa ſecreta, de MESSIA, ex antiqvis Ebræorum monumentis ſe revelâſſe, qvæ tamen in rerum natura nullibi extant; extare autem ea magnopere optaremus.* (*kk*) Eſto enim, non reperiantur illa, qvæ Galatinus citavit, apud nos, qvis propterea audebit aſſerere, ea vel à Judæis ſuppreſſa (ſi Manuſcripta fuerunt) aut mutilata non eſſe? Sed nobis ſufficit, *Judæis hodiernis aliam planè, à priorum, competere Fidem,* impræſentiarum demonſtraſſe, vel ſolô Articulô *de Meſſia.* Qvod cùm ulterius, ex more recepto, ſolenni Oratione, die craſtini, ipsâ Vigiliâ Nativitatis, IIX. matut. in Auditorio Philoſophorum, ſit deducturus *Vir Juvenis* non vulgaris Eruditionis DN. HENRICUS HOLLWELIUS *Dantiſcanus, Sacrarum, Humaniorumq; Literarum Studioſus*, Magnificum ACAD. RECTOREM, omnes *utriusq; Reipubl. Conſcriptos Patres, Doctores, Licent. Magiſtros* & Nobiliſſ. Humaniſſimosqve Dn. Studioſos, ut futuro *Oratori*, per breviuſculi temporis ſpacium, corpore, auribus & animis adeſſe, ne grave-

kk) Vide Buxtorf. idem conqveſtum Lex. voce יוחנן.

graventur, reverenter, officioſè & peramanter, debita, ſingulis, honorum præfatione, rogamus. P. P. prid. Vigil. Nativ. Salv. clↄ Iↄc. LIX. cùm *triduo abhinc Noribergæ*, ut heri perſcriptum eſt, *Pragenſis Judæus*, ſimilibus ferè rationibus, & vel *Talmudis* lectione commotus, CHRISTO dediſſet nomen, & ſe paſſus eſſet baptiſari.

Programma IV.

DECANUS COMMUNITATIS ARTIUM ACADEMIÆ LIPSIENSIS,

BONA FINALIA NATALITIA,

Ipſis Vigiliis Purificat. B. Virg. Mariæ indicit.

NAtivitatem DOMINI MESSIÆ etiam cœcæ Gentilitati innotuiſſe, vel domeſticis teſtimoniis, poteſt conſtare, qvorum, cùm alii diligentes extiterint collectores, non piget mutuari nonnulla. Qvid enim, ut de his primùm dicamus, *Sibyllinis*, de Virgineo partu, vaticiniis, illuſtrius, qvid carminibus illis divinius: *Albuneam*, ſanè, conſtat, antè Nativitatem Salvatoris paulò, & jam *Auguſti ætate, mortales hortatam: colerent puellum ex Virgine naſciturum. Phrygia, altiſſimi, ex cœlo, per Virginem, adventum* prædixit. *Samia, de divite, ex paupercula, naſcituro, qvem & Beſtiæ ſint veneraturæ, fecit verba:* qvæ *Cumana*, pòſt, clariùs, de *prole, per Virginem, ex*

æternitate, proditurâ, eſt interpretata: id qvod, antè utrasqve, dudum jam, *Delphica* deſignârat. Omnium verò ſignantiſſimè docuit *Erythræa*, (qvam *Manducator* Hiſtor. Scholaſt. (*a*) in *Incidentibus Erictream* vocat) *Deum ſe, ex Virgine naſcendo, humiliaturum*, cujus prætereà, Acroſtichide, prodidit Nomen: Ἰησοῦς χριστὸς, Θεοῦ, υἱὸς, σωτὴρ, σταυρός. Unde qvorundam Antiqvorum morem manaſſe credunt, nomine ἰχθὺ·, uti Servatorem nuncuparint: qvô, piâ qvadam alluſione, Hieropſaltis illud trahunt ינין שמו qvaſi diceretur: *piſciculabitur* (i. e. multiplicabitur more piſcium) *nomen ejus*, qvoniam נון Targumiſtarum ſuffragio piſcem notet. (*b*) Qvanqvam verò ſint, qvi *Erythræanum* hoc, *Chriſtianum* potiùs inventum, qvàm *Sibyllinum Oraculum* credant; conſtat tamen: *Ciceronem* illud jam legiſſe, cujus hæc verba (*c*) conſiderentur: *Non eſt illud carmen furentis, cùm ipſum poëma declarat, tùm verò ea, qvæ ſi ἀκροστιχὶς dicitur &c.* & paucis interjectis: *qvamobrem Sibyllam qvidem ſepoſitam & conditam habeamus, ut, id qvod proditum eſt à majoribus, injuſſu Senatus ne legantur qvidem libri, valeantq́ʒ ad deponendas potius, qvàm ad ſuſcipiendas religiones, cum antiſtitibus agamus, ut qvidvis potiùs ex illis libris, qvàm regem proferant, qvem Romæ poſthæc, nec dii, nec homines eſſe patientur.* Credimus enim *Tullium* ad ſecundum ejus Carminis verſum digitum intendiſſe: Ἥξει δ' οὐρανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν. *E cœlo veniet REX, qvi per ſecla futurus.* Cumæi qvoqve Carminis meminiſſe *Maronem* novimus (*d*) his verſibus:

Ultima

a) Ad l. IV. Reg. Cap. XXXI. 11.
b) Legendus Auguſtin. de C. D. L. XIIX. c. XII.
c) Lib. II. de Divin. *d*) Eccl. IV.

Ultima Cumæi venit jam Carminis ætas,
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.

Qvod carmen prolixum pateretur Sermonem commentarium. In ſeqventibus etiam ita loqvitur, ac ſi legiſſet Protevangelium:

Occidat & ſerpens, & fallax herba veneni occidet.

Conſultò prætermiſimus teſtimonium Libyſſæ, *Euripidi*, in *Lamiæ* prologo, laudatæ, qvæ & illa tùm de Gentium vocatione, tùm de *Salvatoris, ex Virgine, Nativitate*, eſt vaticinata, ne qvis, qvod nonnulli faciunt, *Deboram* potiùs qvàm *Sibyllam* autumet. Ex qvibus *Sibyllinis* qvidem Gentiles nonnulla citârunt; ſed, ut facilè creditur, ſenſu gentili, & ad longè alia accommodo. Producemus nunc ſolum PLATONEM, tantum non Chriſtianum Philoſophum. Is igitur de Mundo, & ejus opifice, verba facturus, ita (*e*) fatur, ὁ Θεὸς δημιουργὸς ἅμα, καὶ δυνατὸς τὸν αὐταρκῆ καὶ τελεώτατον θεὸν ἐγέννα. Qvibus verbis ille deſignari putavit Mundum tanqvam Deum qvendam ex Deo genitum; ſed ut rectè ſubtilis *Scaliger* conjecit, & plusqvàm qvantum animo concipere poterat, illa poſt ſe trahunt, &, de qvonam primi horum Autore fuerant loqvuti, ille ignoravit. Dabimus jucunda *Scaligeri* verba (*f*) qvæ ſunt: *Divina ſanè* (loqvitur de modò citatis) *verba, ſed qvæ plus ſapiunt, qvàm qvi ea recitabat. Neq; enim eſt Mundus, de qvô dicit hæc,* αὐταρκής. *Qvippe à ſeipſo ſibi ipſi non ſufficit, ſed à Deo. Præterea rectiſſimè*

e) In Dorico Timæi libello.
f) Exercit. ad Cardan. LXI. partit. 3.

mè dixit, à Deo genitum Deum. De Mundo autem quomodo? Quomodo, inquam, genitus ab infinito finitus eſt? Aut quomodo compoſitus materialis, ſubditus accidentibus, per partes corruptibilis, & magnâ ex parte in potentiâ, & ſibi ipſi æquivocus & actu puriſſimo, ſimpliciſſimo? Poteſtne hæc ſoboles illius dici patris? Qvibus ſtatim id qvod, præcipuè,) nos, inpræſentiarum, ad rem præſentem, volebamus) hæc gratiſſima ſubnectit: *Hæc igitur cum legiſſet* (PLATO) *apud veteres Prophetas ac Sibyllas, de Domino JESU, Filio Dei vivi, neq; filium ipſum agnoſceret, alium ſubdititium oſtentavit nobis.* Præter v. hæc *Sibyllina* teſtimonia etiam ad mira qvædam alia commodè nunc poſſumus tranſire. *Oraculorum* gloria, qvæ apud Gentiles fuerit, qvid juvat memorare? Ea autem ipſa, id, de qvo ſoli Chriſtiani gaudemus, vel invitè fuêre conteſtata: Initio enim ſtatim, cùm *Romani* de extructo Templo Pacis, qvamdiu id eſſet duraturum, dæmonium ſuum interrogâſſent, id reſponſi tulerunt: *Donec pariat Virgo.* Qvam ſententiam, cùm per impoſſibile (qvale partus ipſis Virgineus videbatur,) fuiſſent interpretati, eamqve tanqvam Æternitatis deſcriptionem rati, æternum illud Templum dixêre. Sed qvàm opinione hâc ſuâ fuerint decepti, eventu poſteà ſunt edocti. Conſtat enim, cum Virgo pepeiſſet, Pacis illud Templum corruiſſe, qvòd vero Pacis Principe nato id ſubſiſtere ampliùs non poſſet. Eum planè in modum, ſicuti adventante pòſt Domino in Ægyptum (qvod ad Verba Divini Vatis: *Aſcendet Dominus nubem levem & ingredietur Ægyptum, & movebuntur ſimulacra Ægypti,* eveniſſe autumant.) idola collapſa traduntur, ut, juxta Hiſtoriam *Petri Comeſtoris Scholaſticam* (*g*) de Fugâ Domini in Ægyptum) *nullum*

(*g*) Cap. X.

lum in Ægypto fuerit templum, in qvo non corruiſſet idolum Domino ingrediente, ſicuti non fuerat domus, in qvâ non jaceret mortuus primogenitus, Iſraële egrediente. Domino enim, & vero Deo adventante: deaſtra corrui eſt neceſſe, qvod Pythii Apollinis Oraculum *Auguſto*, qvis poſt ſe rerum futurus eſſet Dominus, Sacrificio iterato, & omnium maximo, qvod Hecatombe dicebatur, priùs oblato, ſciſcitanti, factum eſt, his verſibus:

Παῖς ἑβραῖος κέλεταί με θεοῖς μακαρέσσιν ἀνάσσων
Τὸν δὲ δόμον προλιπεῖν, καὶ ἅϊδην αὖθις ἱκέσθαι.
Λοιπὸν ἄπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμετερῶν.

Me Puer Ebræus, divos, DEUS ipſe, gubernans,
Cedere Sede jubet, triſtemq́; redire ſub Orcum.
Ergò dehinc Aris tacitus diſcedito noſtris.

Qvæ cauſa fuit, ut *Auguſtus*, Romam reverſus, in Capitolio, maximam Aram, hâc inſcriptione: Ara *primogeniti Dei*, exſtrueret. (*h*) Ut adeò ipſum Oraculorum Silentium loqvatur pro nobis, & fateatur Virgineum Salvatoris partum, de qvo pluribus legi poteſt Mornæus (*i*) qvi ex *Porphyrio*, infenſiſſimo *Chriſti* hoſte, *Plutarcho*, aliisqve plura teſtimonia cumulat. Nam & ipſimet, qvod manifeſtum eſt, negare non audent. Et *Julianus* qvidem ſatis ſe defendiſſe putat, ſi dixerit; nil obſtare, qvòd ceſsârint oracula, cùm & apud nos Prophetiæ deſierint. Sed dum nullam *Apoſtata*, qvam ſi habuiſſet nullus reticuiſſet, cauſam afferre potuit; gratis dixiſſe putatus jam olim eſt. Nobis verò cur Prophetæ ſint mortui, ſolidæ non deſunt rationes. *Plutarchus* qvidem, qvi *de Oraculorum defectu* libellum conſcripſit, cau-

h) Legendus Nicephorus lib. 1. c. XVII. Hiſt. Eccl.
i) c. XXXII. d. V. R. C.

ſam redditurus, in omnem ſe vertit partem; ſed rimam elabendi tantum abeſt ut repererit,ut ſui immemor planè, ſibiipſi turpiter contradixerit. Ait enim: *Mirum non eſſe oracula defeciſſe, cum Dæmones, oraculorum præſides, utpote morti obnoxii, jam defuncti ſint.* At verò qvi alibi Spiritus illos immortales, qvod Plutarchum feciſſe conſtat, cenſuit, qvomodo poſt mortuos ſtatuere qveat, ignoramus. Sufficit igitur, dum cauſam non reperiunt, ingenua *Porphyrii* confeſſio (*k*) Ἰησοῦ τιμωμένου οὐδεμίας τις θεῶν δημοσίας ὠφελείας ᾔσθετο, i. e. qvòd, *ex qvo* JESUS *coli cœptus eſt, publicam opem deorum ſenſerit nemo.* Qvibus abundè conſtat, Gentiles potuiſſe propiùs ad Chriſtum adduci, qvippe qvi tanta, ipſius divinitatis, vel à diabolis, teſtimonia poſſèderunt. Qvæ dum bonam partem collegimus nil prohibet, ne jungamus etiam (*l*) in Thraciâ inventam à qvopiam ciſtam lapideam, qvæ humanum continebat cadaver, hujusmodi literis inciſis: *Chriſtus naſcetur ex Virgine, & ego credo in Eum. Verùm ſub Irenâ & Conſtantino rursùs me videbis Sol. Thomas* hoc ètiam refert (*m*) ſed paululùm immutatis, & additis his verbis: *Jacebat homo, auream laminam habens in pectore.* Qvamvis in noſtro exemplari etiam *Irenæ* nomen in *Helenæ* vitiosè ſit permutatum. Cui Hiſtoriæ (*n*) ſimilem refert *Neander:* Judæum qvendam in *Toleto* A. C. 1244. poſtqvàm ripam, pro ampliandâ vineâ comminuiſſet, in medio ejusdam, omnis ſciſſuræ expertis, lapidis, inveniſſe librum, trium lignearum pagellarum, tribus perſcriptum lingvis, Ebraicâ, Græcâ, Latinâ, de tribus, juxtà *Eliæ* dictum, Mundi Ætatibus, & inter alia,

his.

k) ad Euſeb. de Præparat. Evangel. l. V. c. 11.
l) ex Zonara Tom. III. *m*) 22. q. 2. a. VII. ad 3.

his verbis: *In tertio mundo filius DEI naſcetur ex Virgine Maria & pro ſalute hominum patietur..* Alluditur autem ad illud dictum: ששי אלפים עומד העולם שני אלפים תוהו שני אלפים תורה שני אלפים ימות המשיח: id eſt, *Sex millia annorum durabit Mundus, duo millia erit inane, duo Lex & duo dies Meſſiæ.* Qvæ aliàs de *Olei*, cùm naſceretur Chriſtus, trans Tyberim, Romæ Scaturigine, *vineâ Engaddeâ balſamum ferente*, recenſentur, lubentes transmittimus. Non poſſumus tamen non meminiſſe *Pomorum Rhenanorum,* (*o*) *Fabarum magnitudine, quotannis, in Vigiliâ Nativitatis, horæ ſpacio, provenientium*, tantùm, ut obiter oſtendamus, nos talia, ſi vera ſint, ſtudiô, aut ſubdolè non diſſimulare: ſicuti id *Bisſelius Jeſuita* (*p*) *Johanni Helfrico Lipſienſi*, qvòd in *Hodæporico Alexandrino* anni 1565. *Crucem pomis Adamianis*, qvæ *Muſya* vocant, *impreſſam* ſubdolè diſſimulârit, improperat. Qvid enim cauſæ habuiſſet ille, ſi qvod *Dux illuſtriſ. Razivilius & Johannes Tucherus Noribergenſis*, & ille ſenſibus deprehendiſſet: *quotquot illius pomi ſegmenta buccellasq́, cultrô deſecueris, totidem te deprehendere, ſuis ſignatas Crucibus, & in Crucem compacti Servatoris effigies?* Præbet enim hoc etiam Gentibus teſtimonium Chriſti crucifixi, ſicuti anteà dedimus Nati & Incarnati, cujus Incarnationem priſcis Ebræorum qvoqve cognitam fuiſſe, ſi nos ex profeſſo jam agere nobis id propoſuiſſemus argumentum; etiam (miſſo licet fundamento, circà neceſſitatem credendi, qvod Theologi noſtri contra præfractè negantes hactenus maſculè & irrefragabiliter aſſeruêre.) ex modernorum ſuffragiis,

n) ex Fortalitio Fidei p. 137. *o*) Abrah. Sur. Theatr. Urb. f. 224. ſeqq. *p*) Ruin. Illuſtr. Decad. 1.

qvibus Veritas, invitis licet, nonnunqvàm confeſſionem extorſit, poſſemus ire probatum. Qvod ſi faceremus, ut reverà poſſemus, ſentiret opinor non nemo, qva fiducia ille aſſerere poſſet contrarium. Sed nec id noſtrum eſt, nec ſi eſſet, præſtare id qvidem nunc vellemus. Jubemus autem conſiderare R. Salomonis Jarchi verba, (*q*) qvibus docet (1.) *humanam naturam à Deo aſſumi poſſe* (2.) *eandem aliqvando ad tempus κα]' οἰκονομίαν eſſe aſſumptam.* (*r*) Qvæ verba licet in noſtris Exemplaribus iterum non reperiantur, ſicuti non ita pridem aliud, hujus falſationis dedimus exemplum; tamen Sorex ſuo ſe prodit indicio, qvomodo primitus hic locus fuerit lectus. Et veſtigia in noſtris Codicibus extant Incarnationis non contemnenda. Jungam verba: אל נא ארני' רבותינו אמרו ששם זה חקודש שנאמר בו להחיות את נפשי מי שיש בידו להמית ולהחיות ותרגומו בבעו כען יי׳: id eſt, (dicebat Loth:) *Ne qvæſo Domine: Dixerunt Rabbini noſtri, qvod hoc nomen* ארני *hîc ſit ſanctum, qvoniam dicitur de eo,* (verſu ſeqventi.) *ad vivificandum animam meam: ille autem, in cujus poteſtate eſt interficere & iterum reſuſcitare in vitam, eſt Jehova, ſicuti etiam Targum habet.* Vide: illi *Angeli in humanâ naturâ* apparentes, ſunt *ille Jehova magnus*, qvi omnibus dat vitam: ità docuit *Targum*, ità etiam, ut *Raſchi* ait *Talmudiſtæ*, apud qvos poſteriores id reperies in *Codice Schefuos & Schabáthnos.* Qvid igitur de *Meſſiâ* etiam antiqvi Ebræorum crediderint, vel ex hoc ſolo teſtimonio interea *B. Lectorem* jubemus æſtimare. Cujus ſanctam Nativitatem, cùm id præprimis Chriſtianos deceat, eleganti Carmine (qvotidiè enim, etiam poſt Ferias, in cordibus noſtris

q) in Peruſch. ad Gen. XIX. v. 18. *r*) Sic refert Grotius de Veritat. Relig. Chriſt. p. 373.

ſtris naſci oportet eum, qvi in ſtabulo pro nobis ſemel: ut & ſic Ferias Natalitias piè concludamus) memoriter decantaturus eſt *Juvenis* egregius & optimæ indolis FRIDERICUS BRUMMER Lipſienſis, ipſis Vigil. Purif. Mariæ, finitis Sacris, in Auditorio Philoſophorum horâ IIX. matutinâ. Huic verò Recitationi ut Magnificus ACADEMIÆ RECTOR, Utriusq. Reip. Patres Conſcripti ac Cives interſint, reverenter, officiosè, & peramanter contendimus. PP. Lipſiæ pridiè Vigiliarum Purif. Mariæ.

Programma V.

DECANUS COMMUNITATIS ARTIUM IN ACAD. LIPSIENSI NUPTIAS PHILOSOPHICAS, *RENUNCIATIONEM* Candidatorum Magisteri, *NUMERO* XXXIV. INDICIT.

בג״ח

Manetem, *μανιώδη* & *immanem hominem*, (qvem, *Patricide* (a) teſte, *Bahram F. Bahram*, Rex *Perſarum* in duas partes, qvòd Prophetam ſe dixerit, diſcerpſit, & ad duas Urbis

a) pag. 106.

Ghond-

Ghond-Schabur, juxta libellum Mſc. *Muhammedis Ben Iſaac*, de *Hæreſi Manichæorum*, portas, propterea *Manes*, *inferior ſuperiorq;* dictas, ſuſpendit) immania dogmata diſſeminaſſe, eaqve ex *Veteribus Philoſophis*, non rectè intellectis, hauſiſſe, vel ſola ejus doctrina: de *Morte & Animarum ſalvatione*, patere poteſt. Finxit ille: *Deum, pro ſalvandis animabus feciſſe machinam, duodecim habentem Cados, qvæ, à cœleſti ſphæra, circumrotata, morientium exhauriat animas, qvas magnum cœli Luminare radiis poſtmodum ſuis repurget, purgatasq; exhibeat Lunæ, poſtqvàm ita animabus fuerit repleta, in ſubſolanum trajecturæ, iisdemq; nobilisſimis mercibus ſeſe exoneraturæ.* *Inde eſſe*, porrò deliravit, *Luna uti, aſſumptione animarum, creſcat, decreſcatq; earundem depletione.* Qvod toties innui, qvoties Manichæas phraſes de *Cœleſtibus navibus ſcaphisq; animarum, Sole* nimirum *Lunâq;*, offendimus, eſt putandum. Rectè ita, apud *Manichæos* deprehenſa, & à *Manete* propugnata, deliria vocavimus, ab orthodoxis *Patribus* dudum exploſa, &, ne à *Perſis* qvidem ipſis, in *Perſâ*, tolerata. Qvis enim perſvaderi ſibi patietur: ſola decima qvarta Luna duntaxat deficere homines? annè antè Primiplaſtorum obitum, per mille ferè annos integros, nullum pleni-novi-Lunium: num animas opaca credemus, qvæ Luminaris hujus, offuſcare diſcum poſſint, corpora? Ut nil de proportione morientium, ſtatisqve, Anni Lunaris, dicamus terminis, aliisqve, qvæ, ne inter ipſa qvidem abſurda, utut vera non ſint, locum videntur occupare ſuum. Ita eſt, ſi *Manichæa* vocamus, non, ſi prima, forſan, reſpicimus, harum, incunabula, ſententiarum paulò, ut fieri amat, transformatarum. Credimus enim, ſi verum fateri

volu-

volumus, ea, qvæ recenſuimus, omnia, *Cubricum* illud *mancipium*, cujus anima, *Platonis* doctrinæ conformiter, revera *dolium* & *Vas* (qvod *Manes Babyloniorum dialecto* notat) *propter cupiditatem & ſtultitiam* (non abludente *Græcorum* qvoqve *Etymologiâ*) nomini, convenienter docuit, ſuo, *priſcæ philoſophiæ* veſtigia redolere non contemnenda. Non confugiemus ad *Mundum, Deum rationalem*, *Stoicorum*, qvem, illi, apud *Lipſium* (*b*) itâ diſpeſcunt: *STELLÆ ſicut oculi, lucentes, in facie univerſi, orbem ſuum peragunt: SOL vi praditus cordis: ut hoc enim ſanguinem & ſpiritum; ſic diffundit ille ex ſe vegetantem calorem & Lucem. Terrâ & Mari Mundus, ut animal, VENTRE & VESICA utitur. LUNA inter Solem & Terram, ut inter Cor & ventrem, velut JECUR aut aliud molle viſcus eſt, & reſpirationes illinc, excoctione aliqvâ, & purgatione attenuans diffundit.* Conſideret qvæſo aliqvis ſeqventia: Sic enim *Plutarchus* (*c*) *Terra*, inqvit, *corpus, animam Luna, mentem Sol creando homini præbuit*, & poſt: *Omnis anima, ſive prædita, ſive carens mente, ubi primum è corpore exiit: fati lege ad tempus vagatur eâ in regione, qvæ terram & Lunam interjacet-Piæ* (animæ) *certum tempus in aëris puriſſimâ parte, degunt, qvam prata Ditis appellant: Deinde velut ab exilio in Patriam reductæ, gaudium deguſtant, qvale maximè percipiunt, qvi ſacris initiantur, trepidatione ac ſuavi ſpe permixtum. Multas enim extrudit, æſtuandoq; projicit, jamjam, LUNAM SUBIRE, affectantes: nonnullas etiam, qvæ jam eò pervenerint, ſubverſas vident, tanqvam in profundum devolvi. Qvæ autem ſurſum evaſerunt,*

b) Lib. II. Phyſiolog. Stoicor. Diſſert. X.
c) De Facie in Orbe Lunæ p. m. 383.

ſerunt, ac firmiter ſunt collocatæ, primum ut ſolenni certamine Victores coronantur pennis, qvæ conſtantiæ dicuntur--deinde viſus eorum radiis eſt ſimilis--conſpiciunt autem primùm ipſius Lunæ magnitudinem & pulchritudinem ac naturam. Idem (*d*) *In Lunâ cavernas & profunda eſſe ait, qvarum maxima Hecates vocent penetralia, duas præterea longas, per qvas transmittantur animæ, aliàs à Lunâ versùs cœlum, aliàs versùs terram.* An hûc pertineat *Sciſſio Lunæ*, de qva gloriatur *Mohammed*, tanqvam proprio miraculo, in KORANO (*e*) qvaſi ille animabus, dogmate ſuo, viam in cœlos fecerit, ſicuti nonnulli ſanè apud Commentatorem ejus loci, *Beidavi*, de reſurrectione mortuorum exponunt, non auſim dicere: ſicuti nec illud, qvòd *Perſæ* (*Manes* enim *Perſa* erat, & multa ipſis propria retinuerat) (*f*) coluerint *Lunam*, & præſertim, qvod ſuſpicionem augere aptum eſt, qvòd *Koptitæ in Ægypto Lunæ Neomeniæ hircum*, (*g*) forſan, ut depleta jam animabus, novis recipiendis propitia eſſe vellet, obtulerint: Propius ad rem accedit egregius *Macrobii* locus (*h*) qvi ità: *alii*, inqvit, *mundum in duo diviſerunt--& immutabilem qvidem partem à Sphærâ* (qvæ aplanes dicitur) *usq; ad globi Lunaris exordium: mutabilem verò à Lunâ* (dogma hoc *Pythagoreorum*, qvi, qvæ à Luna & ſupra eam immortalia, qvæ infrà mortalia poſuerunt, (*i*) etiam hauſerunt *Ebræi recentiores*, qvi (*k*) כל עיקר הקיום בעל יונים *omne fundamentum immutabilitatis in ſuperioribus & ſuprâ-Lunaribus*

d) pag. ſeqq. *e*) Suratâ LIII. *f*) ap. Briſſ. de Regn. Perſar. p. 167. *g*) ut eſt Apud Majemonidem More P. III. c. 46. *h*) Lib. 1. ad Somn. Scipionis c. XI. p. 57. ſeqq.
i) Lege Epiphan. Anacephal. p. 553.
k) Cum R. Joſeph. Albo Ikkar. l. II. cap. XV.

bus ponunt) ad Terras usq; dixerunt. Et *vivere animas, dum immutabili parte conſiſtunt: mori autem, cùm ad partem ceciderint permutationis capacem. Atq; ideò inter Lunam terrasq; locum mortis & inferorum vocari, ipſamq;* LUNAM VITÆ ESSE MORTISQ. CONFINIUM: ET ANIMAS INDE IN TERRAM FLUENTES MORI, INDE AD SUPERA MEANTES IN VITAM REVERTI. Ipſe PLATO qvoqve (*l*) docuit *animas ſapientes in Ætherem ſublimari*, & altiùs qvàm, apud Arium, in aërem, aut ſub Lunam. Apud *Lactantium* qvoqve (*m*) *Seneca* ait, *etiam inter Stoicos fuiſſe, qvi deliberaret, utrumne SOLI quoq; ſuos daret Populos. Scil. ſicuti* (*n*) *Xenophanes* ajebat, *in Lunâ habitari, eamq; eſſe Terram multarum Urbium.* Profectò eadem ſunt verba *Macrobii* (*o*) mox ſubjecta: A *Luna deorſum natura incipit caducorum, & ab hâc animæ ſub numerum dierum cadere & ſub tempus incipiunt. Deniq; illam* (Lunam) ÆTHEREAM TERRAM *Phyſici vocaverunt, & habitatores ejus Lunares* (*Lactantius* (*p*) *Lunaticos*, peculiari ſignificatione, vocat.) *Populos nuncupaverunt.* Qvi hæc prolixius deducere vellet, ex *Johan. Bapt. Criſp.* (apud qvem reperies, qvòd etiam *Kabbaliſtis Luna* animas humanas ſignificet) (*q*) potiſſimum, aliisqve, copioſam is poſſet expromere materiam. Nec enim, (qvia ipſorum jam eſt facta mentio) apud *Kabbaliſtas* talia qvis fruſtra qvæſierit, ut vel ex ſolo *Leone Ebræo* (*r*) liqvere poteſt. Qvæ omnia, qvi vel contempſerit, vel (qvod deliranti *Maneti* contigit) iisdem, qvibus legit, literis

l) De qvo Tertullian. adi. c. 54. de Anim. *m*) lib. 3. c. 23.
n) Juxta Tullium lib. IV. Tuſculan. *o*) l. c. *p*) l. c.
q) de Ethn. Philoſ. cautè leg. f. 45.
r) Dialog. III. de Amor. fol. 460. ſeqq. 793.

literis intellexerit, graviſſimam næ primis autoribus fecerit injuriam, ut ignorantiæ & *ἀπαιδευσίας* nunc non attingam argumenta: qvod judicium tamen tantùm non qvotidiè, de *Ebræorum* ſcriptis, experiri oportet. Placent verba accurata *Senecæ noſtri temporis*, LipsI, (*s*) qvi: *Ego hæc talia*, inqvit, *ſic obvio*, *& ſimplici ſenſu, dicta, aut dubitata ab iis, vix arbitror.* Nimirum hæc ex genere docendi mythico fluxêrunt myſticoqve, qvod effecit qvoqve, ut minùs aſſveti *Talmudi*, meras *fabubulas fabulas*, clament, dùm *Magiſtri*, ex invidia & odio ergà Chriſtianos, (qvod luculenter *Majemonides* docet,) (*t*) *affabulationes* reticuerunt. Nunc, qvomodo commodus ſenſus dogmatis de *transſumtione animarum in Lunam*, eruendus, diſpiciemus paululùm. Per *transſumtionem* igitur intelligenda eſt *ſpeculatio Philoſophica* & *abſtractio* mentis ab *inferioribus*, *corruptibilibus materialibusq;*. Qvo fortè etiam facit illorum ſententia, qvi, ut eſt apud *Regium* (*u*) *à Platone poſitas ſub cancavo Lunæ ideas dicebant.* Volebat certè PLATO animas, anteqvam in corpora delaberentur, *ideas* concipere in eo, ubi eſſent, *cœlo*. Hæc verò *abſtractio mentis à materialibus*, convenienter illis Philoſophis, *mors* non abſurdè poteſt dici. Sicuti fecit *Porphyrius* apud *Stobæum* (*x*) diſtinctione inter *mortem* qvæ *vulgo* cognita eſt, & *Philoſophorum*, cum *anima à corpore & ſenſualibus ejus avellitur.* Et elegans locus eſt apud *Macrobium* (*y*) qvi de PLATONE hæc docet: *Animalis*, id eſt, *hominis duas aſſerit mortes PLATO, qvarum unam Natura, Virtutes alteram præſtant. Homo enim*

mori-

s) Phyſiolog. Stoicor. l. II. Diſſert. XIII. fin.

t) Præf. זרעים p. m. 82. ſeqq. & in M. N. paſſim.

u) Diſp. I. Log. p. 120. *x*) Sermon. XV.

y) l. 1. in Somn. Scipion. c. 13.

moritur, cum anima corpus relinqvit ſolutum Lege Naturæ. Mori etiam dicitur cum anima adhûc in corpore conſtituta, corporis illecebras, Philoſophiâ docente, contemnit, & cupiditatum dulces inſidias reliqvasqve omnes exuitur paſſiones: qvod fieri neqvit, niſi avellatur à ſenſibus. Prolixum foret autoritates & ſententias, in hanc rem adducere, vel ex ſolo PLATONE, qvi in *Phædone* id agit induſtriè, ut oſtendat; *omnem veri Philoſophi vitam, ipſiſſimam eſſe mortem.* Excerpam (z)tantùm qvædam: nimirum *Philoſophos reverâ mori: latere Vulgus, quâ ratione veri Philoſophi & ſtudeant mori, & morte* (puta Philoſophicâ) *ſint digni. Philoſophiæ veræ ſtudium, haud declinare ad corpus; ſed, quantum poſſit fieri, ab illo diſcedere, atq; ad animum ſeſe convertere: Philoſophum, præter cæteros homines, animum à commercio corporis ſegregare, ut reverâ vivere exiſtimandus non ſit, ſed penè mortuus: Ratiocinari optimè tunc animum, qvando eum neq; auditus, neq; viſus, neqve dolor, neqve voluptas perturbat; ſed ſeipſum, in ſe ipſum, recipiens, deſerat corpus, ab eo aufugiat, qværatqve ſecundum ſe ipſum, vivere.* Hâc morte PLATONEM etiam eſſe, cum intentius philoſopharetur, mortuum, Hiſtoriæ tradunt. *Compunctus enim, aliqvando, acubus, nihil omninò ſenſit, propter mentis abſtractionem,* ex nimiâ idearum contemplatione ortam. Id ſcilicet, erat, qvod ſæpiſſimè docuerat: *quoties anima agat per inſtrumentum, circâ formas, in ſubjecto jacentes, nil illam cognoſcere ſincerè, ſed ſolùm, quando, per ſe ipſam, convertatur ad ideas,* id eſt, formas, in ſe ipſis, ſimpliciter exiſtentes. Qvam doctrinam multis parabolis involutam Platonicam Philoſophiam tradere novimus,

z) ex l. c. ſive de Animi Immortalitate.

præſertim, ſi de contemplatione DEI eſt ſermo: qvæ deducere, eſſet forſan, qvàm inſtitutum noſtrum pateretur, prolixius. Jubemus tamen B. Lectorem reliqva ex hoc uno æſtumare: Jucundus eſt PLATO in tradendo: *qvomodo anima, divinis dedita, vocetur auriga, unitas animæ auriga caput; Ratio per naturalia diſcurrens eqvus bonus, Phantaſia confuſa & appetitus ſenſitivus eqvus malus, animæ totius naturæ currus: item qvâ ratione animæ tribuantur alæ, qvibus feratur in ſublime, indagatio nimirum & deſiderium: qvemadmodum item auriga demum ad præſepe, id eſt, divinam pulchritudinem ſiſtat eqvos, objiciens illis ambroſiam & nectar, vel viſionem pulchritudinis divinæ, & ex eâ ſubortam lætitiam ac voluptatem.* Qvæ obvio ſic ſenſu eſſe capienda, qvis eſt, qvæſo, qvi itâ veſaniret? Sicuti verò talia apud *Platonicos* obtinuerunt; itâ etiam mirum non eſt, ad *Philonem* qvoqve, qvi in plurimis ſolet Platonizare, *Judæum*, talia dimanâſſe, ſi qvis effari auſit. Experiemur impræſentiarum, annon *mortis philoſophicæ* (ut nil, de eo, qvem de *contemplativâ vitâ* ſcripſit, dicamus libello) apud eundem extent veſtigia nonnulla. Certè, ut id credamus, toties adducimur, qvoties, qvæ de, ſummi Prophetarum, MOSIS, tradidit ille, ex hâc mortalitate, demigratione attentiùs conſideramus. Credimus, inqvam, tantùm non omnia, qvæ de MOSIS narrat morte, ex *Platonis doctrina*, de *philoſophorum morte* primitùs eſſe hauſta, & ad beatum Prophetæ abitum, ab ipſo accommodata. Adſcribemus hæc tantùm, (*a*) ejusdem verba: *Χρόνοις δ' ὕστερον ἐπειδὴ τὴν ἐνθένδε ἀποικίαν ἔμελλεν εἰς οὐρανὸν στέλλεσθαι, καὶ τὸν θνητὸν ἀπολιπὼν βίον ἀπαθανατίζεσθαι, μετακληθεὶς ὑπὸ τοῦ Πατρὸς, ὃς αὐ-*

a) De Vita Moſis f. 538. circa finem.

ὸς ἀυτὸν δύαδα ὄντα, σῶμα καὶ ψυχὴν, εἰς μονάδος ἀνεστοιχειοῦτο φύσιν, ὅλον δι' ὅλων μεθαρμοζόμενος εἰς νοῦν ἡλιοειδέστατον, κ]λ. qvæ ſunt: *poſtremò, migraturus ad ſuperos, & exutâ mortalitate, ad immortalitatem transferendus, vocatus à patre, ut eum, è duplici naturâ, corporis ſcilicet animæq́, transformaret in ſimplicem, jam tùm propè totus verſus in animum, & quidem illuſtratiſſimum*, &c. Cujus ſententiæ conſiderari velimus hæc verba: (1) ἀυτὸν δυάδα ὄντα, σῶμα καὶ ψυχὴν, εἰς μονάδος ἀνεστοιχειοῦτο φύσιν. (2) ὅλον δι' ὅλων μεθαρμοζόμενος εἰς νοῦν. *Illud* enim redolet Platoniſmum de *impedimento animæ* corporeo: *hoc* verò ſaltim phraſin, de *Morte Philoſophicâ*, Platonicam, licet translatam ad Beatam. Nam ſicuti PLATO ajebat: *Philoſophum quaſi mori, dum ſpeculando avellit à corpore animam*; ita PHILO dicit: *mortuum Prophetam, fortisſimâ apprehenſione intellectuali D E I*, qvæ propter ſummam objecti delectabilitatem, intenſiſſimum, ergâ Creatorem, in Moſis voluntate elicuit amorem, ex amore demum lætitiam, ut anima, corpus ſuum animare, qvaſi fuerit oblita, & itâ Propheta (qvoniam *anima non eſt, ubi animat; ſed ubi amat*) ſe velut non advertente, in jucundiſſimâ illâ, divini Numinis, apprehenſione, defecerit & mortuus ſit. Qvam doctrinam qvoqve apud *Talmudiſtas*, ex qvibus ſeqviores hauſerunt, offendimus tanqvam communem & veluti publicam, qvoties de נשיקה ſive *Oſculo* ipſis eſt ſermo. Tradunt nimirum *Magiſtri Talmud. Cod. Berachos.* (*b*) Nongentas & tres mortis eſſe ſpecies, ſubjunguntq́; : שקשה שבכולן אסכרה׳ וניחה שבכולן נשיקה *graviſſimam omnium eſſe ſtrangulationem vel anginam, ſuavis-*

b) fol. IIX. col. 1.

ſvaviſſimam verò OSCULUM, occaſione parabolizandi itâ ſumtâ ex verbis *Deut.* XXXIV, 5. *Moſes mortuus eſt* על—פי qvaſi diceretur: *ad OS Domini*, & Cant. I. *oſculetur me oſculo oris ſui.* Diximus hanc expoſitionem parabolicam, ne *Ebræi* nos cum imperitioribus deridendi habeant cauſam. Non enim ad literam hæc ſeqvi, ipſimet proteſtantur, qvi optimè ſciunt τὸ על פי cum *Targumiſta* per τὸ על מימרא דיי per *juſſionem* & *mandatum DEI* eſſe, & non aliter, exponendum, ut ludibrium vei Apellis debeat, qvicunqve aliam ipſis affinxerit hîc mentem. Et qvid, qvæ de *oſculo* parabolizant, nos turbent, cum etiam *Chriſtiani* ab his Parabolis non abſtineant. Legantur *Theologi Aſcetici*, qvi ex *Patribus* qvoqve deducunt, qvod noſtrum jam non eſt, oſtendere, & vel ſolus *Harphius* (*c*) præſtat, ex qvo ſanè apparebit: *oſculum myſticum*, planè eo modo ab ipſis, exponi: qvi, præterea, eleganter, ſecretiori ſtylo, depingunt, *qvatuor*, *ad oſculum ſpirituale*, *neceſſaria*, *labia myſtica*, duo ſcil. Dei, fidelis animæ totidem. *Divina* ipſis ſunt *Lux veritatis*, & *divinæ bonitatis dulcedo*, qvorum *hæc* affectui imprimitur, intellectui *illa.* Animæ igitur labia duo erunt, *intellectus affectusq;*, ut *ille* qvidem lucem veritatis, *hic* recipiat dulcedinem bonitatis divinæ. Ut hinc videamus Traditionis qvaſi ſeriem, & qvemadmodum hæc doctrina myſtica de *Moſis morte per oſculum* ſit ex Platonis Philoſophia progenita, id qvod doctiſſimus *Majemonides* non obſcurè inſinuare videtur (*d*) cujus verba, prolixiora licet, non poſſumus non exſcribere. Poſtqvam, eleganter, diſcrimen inter חשק & אהב, poſuiſſet, dicit: qvòd Amor ſummus, qvando cogitationes nullibi

c) lib. I. Theol. Myſtic, cap. qvatuor priorib. *d*) M.N. p. III. c. 51.

nullibi ſunt, qvàm in re amatâ, ſit propriè Cheſchek: & poſt pauca: *Falſum eſt, puriſſimam apprehenſionem conferri homini, qvam diu humores corporales fervent. Nam qvô magis Facultates corporales debilitantur, ignisqve cupiditatum extingvitur, tantò magis intellectus roboratur, lumen ejus augetur, apprehenſio purificatur, & de eo, qvod apprehendit, lætatur, itâ, ut cum homo perfectus ad maturam ætatem pervenit, & morti appropinqvat, ſuprà modum Apprehenſio, Lætitia ex apprehenſione orta, & amor rei apprehenſæ augeantur, ut anima à corpore qvaſi ſeparetur, tempore voluptatis illius.* & iterum: *Senſus eſt oſculi, qvòd præ nimio amore mortui ſint in voluptate apprehenſionis ejus.* & adhuc: *poſteà remanet intellectus ille in æternum in uno eodemqve ſtatu, qvia ablatum eſt impedimentum illud, qvod nonnunqvam diſtingvebat inter ipſum, & inter ejus intelligibile, & ſubſiſtit ita in voluptate illâ magnâ, qvæ neqvaqvam eſt ex voluptatibus corporalibus &c.* Et dum hæc profitetur Rambamus, fatetur ſimul, hoc *juxtà veterum philoſophorum doctrinam* eſſe, qvod etiam ex hactenus obſervatis, haut difficulter putabimus credi. Contemplationes autem tandem iſtæ, qvas de *Morte oſculoq;* inſtituimus, egregias nobis ciere poſſent cogitationes, niſi, brevitatis ſtudio, prohiberemur. Id tamen, inſtituti ratione, dicendum eſt: Eos, qvi ad Sapientiæ ſtudia animum applicuère ſuum diligentiùs, philoſophicisqve meletematis accuratiùs ſunt intenti, præmiſſis commemoratis, veteris doctrinæ, hypotheſibus, meliùs depingi non poſſe, qvàm, ſi OSCULO (SOPHIÆ) MORTUOS dixerimus, morte verò, qvæ non ſolùm viva; ſed Vita ipſa &, optimâ qvidem Naturæ longè adhuc eſt melior vitâ. Poſſemus inde deflecti ad amo

D 3 rem,

rem, & qvomodo Philoſophus dum ſpeculatur, reciproco qvaſi oſculo moriatur, contemplatione ſcilicet prævia in tales deducatur voluptates animiqve delicias, ut, à corporeo & ſenſuali commercio anima ejus planè avellatur. Sed, dum hæc facilè ex præmiſſis poſſunt deduci; ſicuti etiam, qvas Parabolas exinde Nuptiales poſſemus, non invito argumento, elicere: non attinet, extantiori ſtylo, eo opere jam defungi. *Candidatos* tamen *Philoſophiæ* non incongruè, juxta hanc doctrinam, *Lectisſimos* vocabimus *Sponſos*, qvi OSCULO ſibi SOPHIAM caſtiſſimam dearrharunt *Virginem*, ita, ut meritò *Eadem* IPSIS *Philoſophico* qvodam *Matrimonio* jungatur. Qvalium SPONSORUM, numerô XXXIV. videlicet,

CHRISTIANUM JENTZSCHIUM, Dreſdenſem, Ph. Bacc. & Patrii Noſocomii Paſtorem.
HERMANNUM ROSAM, Lipſienſ. Ph. B.
JOH. HENRICUM WILHELMI, Grimmâ-Miſn. Ph. B. & Gymnaſ. Portenſ. Cantorem.
MICHAELEM DITTMANNUM Dreſdenſem Ph. B.
ISAACUM THILONEM, Inſulan. Boruſſum Ph. B. hodiè Facult. Philoſoph. Aſſeſ.
JOHAN. BECKERUM, Freiſtad. Sileſium Ph. B.
ANDREAM DATHE Rochlitiô Miſn. Ph. B.
BARTHOLOMÆUM FRANCKEN, Weidâ-Variſc. Ph. B.
JOH. OLEARIUM, Hallenſ. Saxon. Ph. B. hodiè S. Theol. Doctor. & Prof.
JOH. SEVERINUM WEISSIUM, Cizâ Miſn. Ph. B. hodiè Superintend. Pegavienſem.
BARTHOLOMÆUM BURGHARDI, Borna Miſn. Ph. B.

GEORG.

GEORG. HASELICHIUM, Magdeburg. Sax. Ph. B.
JOHAN. FRIDERICUM MEISNERUM, Qvedlinburg. Sax. Ph. B.
CHRISTOPHORUM PELSIUM, Islebienſ. Saxon. Ph. B.
CHRISTOPHORUM GRÆFIUM, Sulzâ-Thuring. Ph B. hodiè Schol. Altenb. Con-Rect.
JOHANNEM DOESNERUM, Leucopetrenſ. Miſn. Ph. B.
JACOBUM SCHINDLERUM, Schneeb. Miſn. Ph. B.
SETHUM CALVISIUM, Qvedlinburg. Sax. Ph. B.
CHRISTIANUM KNORRIUM, Ruthenat. Sileſ. Ph. B. hodiè Conſiliari. Sulzbac.
JOACHIMUM } GERHARDUM } CORTHUMIOS, Fratres German. Hamburg. Ph. BB.
JOHAN. ZECHENDORFIUM, Græciô Variſc.
JOHAN. CAROLUM GOLDSTEIN, Lipſienſ.
CHRISTOPHORUM MüLLERUM, Ilenberg. Miſn.
GEORGIUM GRUNERUM, Islebienſ. Saxon.
HENRICUM GEISLERUM, Lipſienſ.
JOACHIMUM FELLERUM, Cygneâ Miſn. hodiè Th. L. & P. P.
BENEDICTUM CAMENIUM, } ERLANDUM AURENIUM, } Carolſtadiô Svec.
CHRISTIAN. MüLLERUM, Lipſienſ.
CASPARUM LOESCHERUM, Werthaviâ Miſn. hodiè Th. D. & Paſtor. Erfurt.
JOHANN. CRUGIUM Coburgenſ. Franc.
NICOLAUM KLEINIUM, Calmariâ Alſat.
JOHANNEM LAUDENBACHIUM, Svinfurtô Francum.

ſtitura eſt, qvæ *Parentum* Vices ſuſtinet, *Communitas noſtra*, (poſtqvàm in hoc *Matrimonium*, præviâ ſeriâ deliberatione, *Examinibusq;* conſentiendi non leves habuit rationes.) ut *Solenni Panegyri*, ceu *novi Mariti, pudicæ* huic jungantur *Sponſæ*, &, qvoniam animos ſuos, diligentiori ſtudio, *ad Lunam* usqve evexerunt, veteri ritu (ſi licet ὀνοματοποιεῖν) qvaſi *Lunulentur*. Dictus eſt hiſce *Nuptiis Philoſophicis* dies craſtinus XXVI. *Januarii*, *Polycarpo* ſolemnis: qvibus ut MAGNIFICUS ACADEMIÆ RECTOR, UTRIUSQ. REIP. PROCERES AC CONSCRIPTI PATRES, reliqviqve, ceu ſelecti & omni exceptione majores *Teſtes, Hoſpites*, ac *Convivæ*, Magnificâ ſuâ, honorificâ ſplendidâqve præſentiâ, die dicto, octavâ matutinâ, in *Philoſophorum Auditorio*, intereſſe ne graventur, eô qvo decet, ſtudiô ac curâ, præmiſſô, ſingulis debitô, honorum Titulô, reverenter, officioſè & peramanter contendimus. P. P. Lipſiæ d. XXV. Jan.

A. O. R. clɔ. Iɔc. LX.

PRO-

PROGRAMMA VI.
DECANUS COMMUNITATIS ARTIUM IN ACADEMIA LIPSIENSI
RENUNCIATIONEM
BACCALAUREORUM
NUMERO
X X.
INDICIT.

תל״ש

DE *Ariſtotele Stagiritâ, Nicomachi* & *Phæſtiadis* filio, *Æſculapii*, Medicorum qvaſi Dei, pronepote, aliqvid dicturo, in mentem venit *Ariſtotelis Rhodii*, Phocææ Principatum obtinentis. Fuerunt nimirum duo hi Synonymi, ſed diverſorum planè ſtudiorum, diverſi qvoqve (ſi hodierna reſpicias tempora) Fati. *Rhodius* ille *Ariſtoteles* dictus, dictus & *Stagirita*: Principatum obtinuit *ille*, obtinet & *hic*, *ille* in Rep. *hic* in Philoſophia: aſtutiam *illi* tribuit *hic*, (*a*) ſubtilitatem & perſpicuitatem *huic*, univerſus orbis, poſtqvàm etiam à Præceptore ſpecioſum *Anagnoſtæ* obtinuit nomen. Sed ingenium *ille* contulit ad acqvirendas opes divitiasqve, qvas lutum æſtimant ſapientiores: *Hic* ad divitias animi, ſapientiam veram, cujus ſolius poſſeſſio verè divitem & beatum reddit poſſeſſorem. Hinc eſſe intelligimus, qvòd diverſô, in *hunc illumq;* ſtudiô ſuos *uterq;* reperiat Patronos. Univerſus ferè orbis

(*a*) lib. II. de Cura Rei Famil.

bîs deperit jam *Ariſtotelem Rhodiũ*, ut neſcio QVORUM (qvi ne terunciô totius orbis ſapientiam æſtimant) *ille* ARISTOTELES ſit nuncupandus. Eſſet id tolerandum, niſi *Stagiritæ* tantùm non igni & aqvâ, communibus naturâ, interdicerent elementis. Tanta tamen eſt Sapientiæ vis, ut, vel ex ipſis calumniis, ſua *Stagiritæ* noſtro præconia naſcantur, &, in ipſo, qvaſi, exilio, Patria oſtendatur. Mittimus illiteratos, qvi, dum aurô oculos illitos habent, nil planè, qvod ad veram ſapientiam pertinet, videre poſſunt, & qvibus *Stagirita* qvidem ſordet, *Rhodius* verò *Ariſtoteles* ſolus in deliciis habetur. Inter ipſos qvoqve, qvi Philoſophorum ſuperbiunt axiomate, ſunt & fuêre, qvi *Oſtraciſmum* intentârunt noſtro, ſed qvo ſucceſſu, & Hiſtoria nos docet, & qvod præſentis inſtituti eſt, hiſce pagellis aliqvantum cognoſcetur. Qvâ reverentiâ à *Chriſtianis Europæis*, ipſius dogmata excipiantur, neminem, niſi qvi cum *Endymione* ſomniaverit, credimus ignorare. Qvamvis enim, neſcio qvid *Ramus* fuerit qvondam molitus: ſaniores tamen unanimiter fatentur: (*b*) *Petrum Ramum, dum relictâ Eloqventiæ Profeſſione, in qvâ regnabat, ſe ad Philoſophiam ſeriùs & ſine ductu Magiſtrorum contuliſſet: maximam ſibi levitatis notam apud omnes eruditos conflâſſe: qvod de finibus artium regundis* DEO TERMINO *reclamante, hoc eſt, contrà Ariſtotelis & veterum oracula, temerè diſceptare, qvam ingenii ſui mobilitati certos defigere terminos maluerit.* Non deeſſe cauſas, Ariſtotelem defendendi, notum eſt iis, qvi & ipſius excellentiam mentisqve acumen deprehenderunt, &, qvod præcipuum eſt, expeditiſſimam docendi rationem methodumqve ſunt experti. Nolo ex Chriſtianis qvicqvam proferre

b) Cum Edmund. Richerio Obſtetr. Animor. c. II. §. 17.

ferre Teſtimoniorum, qvæ alii copioſè produxêre; ſed ex iis, qvæ *Orientales Populi non-Chriſtiani* paſſim profitentur, ea tantùm confirmabo. Qvanti EBRÆI ingenium *Ariſtotelis* æſtiment, dici vix poteſt. Prodeat in medium ſapientiſſimus Rabbinorum, & ὁ *πάνυ* qvaſi, *Majemun*, qvi itâ ad *R. Samuelem Abben Tybbon*, diſcipulum ſuum, ſcripſit: דעתו של ארסטו היא תכלית דעת האדם מלבד מי שנשפע עליהם השפע האלהי עד שישיגו אל מעלת הנבואה אשר אין מעלה למעלה ממנה id eſt, *Scientia Ariſtotelis eſt perfectio & finis ſcientiæ hominum, excepto, ſi influat in eos influxus divinus, adeò, ut perveniant ad excellentiam Prophetiæ, qvâ non datur gradus ſuperior.* Id ſine dubio, qvoqve *Majemonides* aut apud *Averroem* (ut vulgò, ſed non rectè vocatur) legit, cujus verba hæc eruditis ſunt nota: *Natura Ariſtotelem invenit ad demonſtrandam ultimam perfectionem humanam, cujus intellectus eſt finis intellectus humani*, aut apud *Ammonium*, qvi, eundem *modum ingenii humani exceſſiſſe*, ſcripſit. Lege plura apud *Laërtium Plutarchum, Ciceronem* (c), *Plinium* (d), *Auguſtinum* (e) alioſqve, qvia de Orientalium teſtimoniis tantùm ſolliciti ſumus. Qvam laudem dum apud *Ebræos* communiter poſſideret *Ariſtoteles*, eosdem qvoqve in diverſas egit opiniones, ut multi non crederent Philoſophum hunc, ex naturali lumine, tàm divina potuiſſe relinqvere monumenta nobis. Inde eſt, qvòd alii inter גרי צדק ſ. *Proſelytos juſtitiæ* (f) alii verò inter *plagiarios* retulerint ipſum, ut libri, qvos jam, ab injuriâ Fati vindicatos, poſſidemus non tàm ab *Ariſtotele*, qvàm, omnium

c) Vid. de Finib. d) lib. 8. c. 16. e) IIX. Civ. D. c. 12.
f) Vid Schælſchal. Hakkabb. f. 107.

omnium Regum ſapientiſſimo, *Salomone* fuerint perſcripti. Sic legimus apud *R. Abrab. Zacuthum* (g) כל עיקר חכמת אריסטוטליס גנובה מחכמת שלמה עה כי כאשר כבש אלכסנדרוס מוקדון ירושלים רשליט לאריסטו וטלוס רבו על אוצר ספרי שלמה וכל דבר טוב שמצא בהן כתב בשמו: id eſt: *Omne fundamentum doctrinæ Ariſtotelis furto ablatum eſt de ſapientiâ Salomonis, ſuper quem pax. Nam poſtea qvàm cepit Alexander Macedo Hieroſolyma, præfecit Ariſtotelem, Præceptorem ſuum, Theſauro Librorum* (id eſt, Bibliothecæ) *Salomonis* (NB. Non nemo, præterqvam, qvòd, pro אוצר legit איצן vertit: *ſummam rerum concredidit Ariſtoteli, Præceptori ſuo, ipſosq; adeò Salomonis libros* (h) qvæ interpretatio non eſt ad mentem *Zacuthi*, qvi hîc non dicit, Ariſtotelem regnâſſe Hieroſolymis), *qvicqvid autem boni invenit in illis, ſuo nomine* (poſtmodum) *ſcripto publico vulgavit.* Qvæ cauſa eſt, ut etiam *Lipmannus*, licet refutaturus Ariſtotelem, proteſtetur tamen: ſe non id facere להאשים את הארסטוטלס id eſt, *ut erroris convincat Ariſtotelem.* (i) Ex eodem manâſſe fonte credimus, qvòd Judæi *Platonem à Prophetis*, & *Socratem* ab *Achitophele* ſolida doctrinæ fundamenta petiiſſe ſcribunt, (k) Mirum igitur nemini videatur, cur hujus *Gentilis* & גוי ſcripta tanti æſtiment *recutiti*, qvi non tantùm in vertendis, ſed etiam in ſecernendis genuinis à ſpuriis & ſuppoſitiis ſcriptis Ariſtotelis Ariſtotelicisqve ſuam operam ſedulò navârunt. Ariſtotelis ſcripta, per univerſum orbem, in Lingvas, Ebræam, Arabicamqve, transfuſa, fuiſſe divulgata, etiam perfunctorio labore poſſet

g) in Libro Juchaſin f. 157. col. 2. poſt m.
h) de Uſu Script. Rabb. in Theol. c.1. f. 284. i) p. 2. Nizz.
k) in Juchaſin. p. 5. lin. 15.

ſet oſtendi. De diligentiâ in ſecernendis vel ſolus Majemonides poteſt teſtari (*l*) his verbis : הספרים אשר זכרת לי שהם אצלך ועמך מהם ספר התפוח וספר בית הזהב כלם חזיות ורוחות והבלים׳ ואלה השני ספרים הם מכלל הספרים המיוחסים לארסטו ואינם לו: id eſt, *Libri, qvos penes Te eſſe memorâſti, qvales ſunt* Liber Pomi, *&* Liber Domus Auri, *omnes ſunt nauci, nihili, nullius planè momenti. Sunt autem hi duo Libri ex eorum cenſu, qvi aſcribuntur Ariſtoteli, ſed ejus non ſunt.* Vellemus, ad manus nobis eſſet Epiſtola *R. Sam. Abben Tybbon*, qvâ informari, abs Majemun, in ſtudio Philoſophico, petit, ad qvam Rambamus, reſponſurus accuratum judicium ſuum interponit, de *Metaphyſicâ Raſis*, *Logicâ Abunzaris*, Scriptis *Alpharabii*, *Abubcharis Azaig*, Commentariis *Alexandri*, *Themiſtii*, *Aben Raſchad* (qvi corruptè & mendosè *Averröes*) monumentis *Pandocli*, *Pythagoræ*, *Hermetis*, *Porphyrii*, *Platonis*, *Aben Sinæ* (qvi itidem perperam *Avicenna* dicitur) &c. ut vel hoc ſolo teſtimonio conſtet, qvàm diligentes extiterint, in traducendis (cum accurato tamen judicio & diſcretione) qvoqve Gentilium Philoſophorum ſcriptis, niſi Arabicè extiterint, in ſuam Lingvam, *Ebræi*. His verò omnibus *Majemun* (*m*) ſolum Stagiritam præfert, de reliqvis cenſens. שאין ראוי הזמן ולהעבירו בהם: id eſt, *inconveniens eſſe, ut tempus in illis perdatur*. Hæc *Ariſtotelis* fama non intrà *Ebræorum* Scholas ſe poterat continere, ſed rupto qvaſi aggere ſeſe ad *Arabes* qvoqve *Aſiam Africamq́;* (qvid de magna illa Europæ parte, cui Arabes dominantur, dicemus?) diffudit. Per ſeptingentos enim fermè Annos in

l) l. c. Ep. ad R. Sam. Abben Tybbon. *m*) l. c.

in florentiſſimis Academiis *Cayranâ*, *Conſtantinâ*, *Tripolitanâ*, *Sigilsmeſſinâ*, *Tunetanâ*, *Alexandrinâ*, *Feſſanâ*, *Hubbeddanâ*, *Maroccinâ*, & aliis complurimis, *Baſoranâ* præſertim *Cufanâq;*, Philoſophica ſtudia, vel ad invidiam, ſunt exculta (ab iis ſcilicet Populis, qvibus, ob temperamentum defæcatius puriusqve cœlum, ſubtilioribus & aptioribus eſſe, præ omnibus Populis Occidentis, ad hæc tractanda, natura datum eſt) præprimis *Peripatetica*, qvod volumus impræſentiarum. Neminem ſiqvidem, qvi hæc orientalia ſtudia, vel primis labris, deguſtavit, adeò ignarum remur, ut neſciat *omnino Philoſophiam Ariſtotelicam apud ipſos Muhammedanos legi:* dum indubiè conſtat, non ipſa ſolùm *Stagiritæ* ſcripta; ſed & luculentiſſima in hæc eadem Commentaria (puta Explicationem Analyticorum Poſteriorum *Themiſtii*, *Alexandri Aphrodiſienſis* Commentationem, *Ammonii* in Topica *Porphyriiq;* in Libb. περὶ Φυσικῆς ἀκροάσεως Elucidationes, aliaq; plurima) in Arabicam Venerem transiiſſe. Qvod non adeò mirabitur, qvi ſcit etiam Opera præclara SS. Patrum: omnes *Chryſoſtomi* Libros, *Euſebium*, *Baſilium*, *Clementem Alexandrinum*, & hujus ultimi plurima, qvæ in Græco deſiderantur, apud Arabes reperiri, veluti *Ravius* in obteſtatione ad Europam, Conſtantinopoli ſcriptâ, αὐτόπτης Teſtis, affirmat cum multis. Crediderim qvoqve æmulatione factum, ut & *Aqvinatis Thomæ* ſcripta, Civitate Arabicâ donata, apud eosdem alicubi volvantur: præſertim dum jam *Græci Orientis*, ſuo idiomate, *Summam Theologicam* præcipuè, & reliqva ejusdem *Thomæ* magnâ cum, ſubtilitatis & acuminis diſputationum, admiratione, teſte *Chytræo* (*n*) ſtudioſiſſimè legant. Sed dicimus hæc per conje-

n) Orat. de ſtatu Eccleſiarum Græciæ, Aſiæ Africæq;.

conjecturam, qvam probabilem fortè reddere poterit Arabum ingenium, qvi tanto ſtudio omnium Religionum ſcripta conqvirunt, ut, qvicqvid uſpiam extat Eruditionis, in ſuam Lingvam traductum poſſideant prorſus, videlicet, omnia ferè antiqva monumenta *Romanorum*, *Græcorum*, *Chaldæorum*, *Ebræorum*, *Syrorum*, *Nabathæorum*, *Ægyptiorum*, adeò, ut librorum talium plurimi ſint, qvi apud nos aut planè non, aut depravati ſaltim reperiuntur: qvos, utinam Philologi, *Latini Græciq;*, qvi volunt juvare Rem literariam, reſtituerent nobis, & operam Arabiſmo qvoqve navarent! *Titi Livii* ſanè deperditos Libros, (ut nil de *Hippocratis* & *Galeni* non paucis, apud nos deſideratis, dicamus, qvæ Medicorum curam tangunt) qvorum jacturam dolet univerſus orbis Latinus, ad unum omnes Arabicè Arabes poſſident, & in magno pretio habent, (ſicuti *Pappi Alexandri*, inæſtimabilem Theſaurum, Mathematica) de qvorum reſtitutione cur non æqvè, ac de qvovis *ſupplemento* ſolliciti ſumus *Liviano?* Hæc verò cura apud Arabes tenuit potiſſimùm (qvibus etiam in id, officii ratione, erat incumbendum) *Imperatores*, præcipuè *Abu Giafiar Almanſorem*, & poſt eum *Almamonem*, qvorum *hic ſeptimus*, *ille ſecundus*, in ordine *Haſchemidarum*, erat. Illi enim (exemplo *Ptolomæi*) præcipuos Scriptores Græciæ, ex Principum Bibliothecis excuſſos, &, Legatorum orationibus, erutos non ſolùm undiqve congeſſerunt; ſed & amplis ſtipendiis peritiſſimos Lingvarum Interpretes advocârunt, ipſiqve Profeſſorum Diſſertationibus Philoſophicis (qvas, malum! hodiè vel ex trivio homunciones audent contemnere) freqventer interfuerunt. Plures *Imperatores Muslimicos*, (qvos utinam Chriſtianis Principibus poſſemus accenſere!)

cenſere!) ab hoc ſtudio & rarâ Eruditione (*o*) commendavit *Elmacinus*. Sed ſatis de Arabibus & Philoſophico eorum ſtudio, qvos apud, cùm ex Muhammædicâ Conſtitutione Typographis deſtituantur, mirum eſt, tot Bibliothecas reperiri, ut vel *Feſſana* ſola, teſte *Erpenio* (*p*) triginta duo millia Arabicorum Voluminum aſſervet. Qvanqvam verò *Arabes Perſæq́;* ne de *Alcorani* qvidem interpretatione conveniant, propterea qve hæreſeos invicem poſtulent, & majori odio, qvàm Chriſtianos proſeqvantur: in hoc tamen amicè conſpirant, ut utriqve, poſthabitis aliis ſectis, *Peripateticam Philoſophiam*, in Academiis publicè profiteantur, qvod, qvoniam hactenus de Arabibus patuit, de Perſis qvoqve, inſtituti ratione, demonſtramus: ad qvod vel ſolum *D. Olearii* teſtimonium ſufficiet nobis. Poſtqvàm enim (*q*) tanqvam oculatus teſtis, recenſuiſſet; *Perſas* profiteri *Arithmeticam, Geometriam, Oratoriam, Poeſin, Phyſicam, Ethicam, Aſtronomiam, Aſtrologiam, Jurisprudentiam, Artem medendi:* ſubjungit, extare apud eos univerſam Philoſophiam Ariſtotelicam, in Arabicum ſermonem transfuſam, qvam vocent DUNIA PIALA i. e. *Mundi phialam, ſeu Poculum.* Qvo ipſo licet innuere, PERSÆ, uſum & abuſum Philoſophiæ in genere videantur; non tamen abſurdi erimus, ſi dicamus, ſignificari etiam, nobilitatem Peripateticæ Philoſophiæ, qvòd ea, tanqvam aureum poculum, generoſo ſapientiæ vino univerſum Terrarum orbem inebriet, ita, ut ſeqviorum Philoſophorum dogmata, ad hanc collata, ſint inſtar Vappæ, qvam Sapientes Orbis id propter hactenus nauſeârunt & evomuerunt, qvod alii, ex aliis principiis

o) Hiſtor. Saracen. p. 234. 207. alibiq́;. p) Orat. de Lingva Arab. p. 36. q) Itin. Perſic. Lib. V. c. 25. p. 618.

cipiis, antè nos demonſtrârunt. Nobis ea ex Orientali Hiſtoriâ addidiſſe ſufficiat impræſentiarum, gratiſſimâ & exoptatâ hâc occaſione, dum POCULI hujus PHILOSOPHICI famâ allecti, deguſtare ceperunt dulcedinem VINI PERIPATETICI Juvenes ingenui, Ornatiſſimi Doctiſſimiqve numero XX. videlicet,

PAULUS WINCKELMANNUS, Weiſſenfelſ.
EUSEBIUS HEINRICI, Lipſ.
JOH. HENRICUS LöHMANNUS, Cizenſis.
GOTHOFREDUS REICHE, Martisburg.
SIMON CHRISTOPHORUS ERFFURTH, Weiſſenfelſ.
BALTHASAR JECKELIUS, Lipſ.
GEORGIUS NEUMANNUS, Görlicenſ.
JACOBUS GAUCHIUS, Lipſ.
DANIEL LANGHUSIUS, Altenburg.
JOH. ABEL HOPFFE, Smalcaldicus.
MATTHIAS BALTHASAR FLEMMING Thur.
JOH. CHRISTOPH. HOLLAND, Smalcald.
GOTTLOB THOMÆUS, Budiſſina Luſat.
MATTHÆUS VOGLER, Numburg.
OSWALDUS CRONBERGIUS, Freiberg.
GEORGIUS GERHARDI, Radeberg.
BENEDICTUS HOPFFER, Altorfinus, jam Prof. Tubing.
JOHANN. DöRERUS, Hilperhuſan.
CHRISTOPH. GOTTLOB SCHLEGELIUS, Vratislavienſ. jam Archi-Diac. Grimmenſis.
FRIDERICUS GEISLERUS, Reuſſend. Sileſius. J. U. D. & jam Prof. Lipſ.

Hi, inqvam, poſtqvam delibârunt dulcedines PHILOSOPHICI VINI, tantùm abfuit, ut ſitim ſedaro potuerint ſuam; ut potiùs adauxerint. Qvapropter, deſideriô hôc ſuô decenter Nobis expoſitô, eâ, qva par erat, modeſtiâ, *primos* in Philoſophiâ *Honores* ſunt procati. Non enim ſenſerunt, cum Vulgo, & iniqvis Rerum æſtumatoribus, *Bacularii titulum* dedecoroſum aut ingenuo adoleſcente indignum eſſe: ſed experti ſunt in commilitonibus, qvantas utilitates, iis, qvi ad *ſupremum Honorem* aſpirant, & cum laude Magiſtri cupiunt ſalutari, hic gradus ſoleat afferre; Qvodnam, enim, qvæſo Te, nobilius eſſe poteſt exercitium, qvàm publicæ Baculariorum diſputationes? & qvemadmodum putas, illum benè diſputaturum, *Magiſtrum*, qvi ita ſe non exercuit prius? Laudandi igitur præprimis ſunt *Candidati noſtri*, qvi id ſibi præcipuè putârunt dictum: qvapropter noluimus honeſtis eorundem deſideriis deeſſe; ſed præmiſſo, juxtà rigorem Statutorum, diligenti examine, & accuratâ progreſſionum excuſſione, concordibus ſuffragiis, iisdem PRIMAM, in Philoſophiâ, LAUREAM decrevimus impertire. Peragentur hæc ſolennia pridie *Palmarum*, i. e. XIV. Aprilis in Auditoriô Philoſophorum, horâ IIX. matutinâ; qvæ ut MAGNIFICUS ACADEMIÆ RECTOR, UTRIUSQ. REIP. PATRES, NOBILISSIMIQ. JUVENES STUDIOSI, Magnificâ, ſplendidâ & honorificâ ſua præſentia, ſepoſitis, interibi, gravioribus curis, juvent, reverenter, officiosè & amicè contendimus. P. P. Lipsiæ propridiè Palmarum A. O. R. M. DC. LX.

Pro-

PROGRAMMA VII.

AD AUDIENDAM ORATIONEM

Profeſſionis Theologicæ
AUSPICALEM,
In Auditorio Collegii Majoris VI. Martii finitis Sacris matutinis habendam,
MAGNIF. DN. RECTOREM,
Utriusq; Reipublicæ Conſcriptos Patres,
omnium Ordinum Doctores, Licentiatos
Magiſtros & Studioſos
Decenter invitat

JOH. ADAM. SCHERZERUS,
SS. Theol. Doctor & Prof. Publ.

בה״נוא:

QVos JEHOVA felices prædicaturus erat Iſraëlitas, *irriguo cum Horto, &, cujus aquæ non deficiant, ſcaturigine,* apud Prophetam (*a*) contulit. Qvis non iisdem coloribus Eccleſiam depingat? *Hortus* enim (*b*) ea eſt: *Hortus Eden* (*c*) ac voluptatis eſt: *Hortus* (*d*) *irriguus Jehovæ: Hortorum* (*e*) *obſignato* (*f*) nobilitatus *fonte, cujus ſuprà qvàm Libani fluentes aquæ Vallem*

a) Eſa. LIIX, 11. *b*) Cant. IV, 12. ſeq. cap. V, 1. *c*) Gen. II, 7. עדן unde ἡδονὴ voluptas.
d) Geneſ. XIII, 10. Eſa. LI, 3. Ezech. XXIIX, 13.
e) Cantic. IV, 12. *f*) ibid. verſ. 15. Confer. Coccejum ad h. l. fol. 72.

(*g*) *lectiſſimarum Cedrorum irrigant.* Hæ ſunt *requietûm*, illæ (*h*) *perennes* (*i*) *vivæ* (*k*) *ac in æternam vitam ſalientes* (*l*) lymphæ. *Rivuli Jehovæ pleni* (*m*) *ſunt aqvis*, *& flumina illorum lætificant* (*n*) DEI CIVITATEM. Hæc igitur ubi gratiæ fluenta ruunt: ubi ſalutares latices hauriuntur, ibi Hortus Domini, Paradiſus, Vera Dei Eccleſia eſt: Vera ibi *mundities* (*o*) *refrigerium* (*p*) *vita*, *ſalus ac* (*q*) *ſatietas* ſemet commendant. *Utinam verò abſcindantur* (*r*) qvi limpidam nobis *conturbant*, in *Meribæ* (*s*) & *infideles* (*t*) aqvas convertunt, aut æternæ ſalutis canales (*u*) obſtruunt. Hi ſunt de Eccleſiâ malignantium, qvi vivâ *ſcaturigine relictâ ciſternas ſibi fractas nec aqvam capientes* (*vv*) *effoderunt*. Talium Doctores *Draconis* inſtar, *Mulierem AMNE* (*Arii*, *Macedonii*, *Neſtorii*, *Eutychetis*, ſimiliumqve hæreſibus) *ſuffocaturientis* (*x*) *non aqvas*, *qvibus* (*y*) *deſtituuntur*, refrigerii affundunt, ſed *Belialis torrentes*

g) Joël. III, 18. juxt. Trem. *h*) Pſ. XXIII, 2. Ebr. מנוחות. *i*) Jer. LIIX, 11. יכזבו q. d. aqvæ non mentientes, decipientes. *k*) Cant. IV, 15. *l*) Joh. IV, 14. *m*) Pſal. LXV, 10. *n*) Pſ. XLVI, 5. vide Ebræa, conf. Eſa. LIIX, 11. & evolve ἔμφασιν τῶ צחצחות. *o*) Joh. III. Ezech. XVI, 9. XXXVI, 25. Ebr. X, 23. *p*) Eſa. XLIV, 3. *q*) Joh. IV, 14. Eſa. LIIX, 11. *r*) Gal. V, 12. *s*) Pſal. LXXXI, 8. *t*) Jer. XV, 18. Ebr. לא נאמנו. *u*) Inſtar Philiſtæorum Gen. XXVI, 15. conf. 2. Reg. III, 19. 25. *vv*) Jer. II, 13. Conf. Capitula Patrum cap. I. §. 11. ubi R. Abthalion Eccleſiam falſam per מקום מים רעים locum aqvarum malarum deſcribit. Pluribus id exponunt Commentatores R. Abarbinel, in *Náchalas Afos* Rambam & Raſchi ad h. l. *x*) Apoc. XII, 15. *y*) 2. Pet. II, 17.

tes (z) eructant. An veram hanc eſſe Eccleſiam putabimus? Id, qvanqvàm absqve Scripturâ (*A*) foret, vel Hoſtium judicio (*B*) non arbitrandum. In proclivi eſſet, ſi id ageremus, oſtendere, ſalubres fontes, perpetuæ dubitationis (*C*) incertæqve reconciliationis dogmate, per Papatum obſtrui, ut Conſcientia miſerorum (*D*) nunqvam qveat eſſe ſerena. Sed iſtâ qvidem vice cum Calvinianis (*E*) agere lubet, ut appareat: an ulli tentatorum in *ſiccitate animæ* (*F*) *& qvando immundus ille Spiritus ἄνυδρα* (*G*) *per-*

E 3 *ambu-*

z) Pſ. XIIX, 5. 2. Sam. XXII, 5. *A*) Pſal. CXIX, 25. 50. 92. Spiritus S. enim Paracletus eſt Joh. XIV, 26. *B*) Vide Spanhemium, cujus hæc ſunt: *qvî Orthodoxa poteſt eſſe doctrina, qvæ ſolidæ conſcientiarum conſolationi intercedit? qvî etiam illi Orthodoxi & ſinceri Evangelii præcones, qvi ſolidam Conſcientiis tanqvillandis & erigendis conſolationem annunciare neqveunt?* Exercit. de Grat. Univerſ. fol. 1515. ſeq. *C*) Concil. Trident. ſeſſ. VI. cap. XII. & Can. XV. ſeq. *D*) Breſſerus: *Nemo*, inqvit, *de bonâ conſcientiâ ac ſtatu gratiæ poteſt eſſe certus certitudine Theologicâ*, L. II. de Conſcient. cap. XV. fol. 206. Vide omninò reliqva apud B. Dn. Danh. Hodomor. Spiritûs Papæi Phantaſm. IX. f. 129. ſeqq. *E*) Titulum non poſſunt deprecari. *Par enim eſt, ut qvorum pravam opinionem receperunt, eorum qvoqve vocabula & Titulos accipiant*, dicebat Hæreticis jam olim Athanaſius ad Adelphium. Confer Auguſtin. L. II. contrâ Creſcon. c. VI. *F*) Eſa. LIIX, 11. *G*) Matth. XII, 44. Per ἄνυδρα Carthuſianus rectè intelligit hominum corda gratiæ divinæ rorem non habentia, aut ubi fluenta Dei non fluunt. vid. B. Chemnit. in Harmon. Imperitè annotat. Didacus Stella in Lucam Tom. I. fol. 92. ad cap. XI, 24. *Matthæum arida, Lucam inaqvoſa habere, qvod idem fere ſit:* ex qvo colligit: *Credendum eſſe Dominum utrumqve dixiſſe.* Nugæ! Utrobiqve enim

ambulat, ex Calvini Ciſternis, tantillum aqvæ, *qvantum lingvæ refrigerandæ Epulo petiit*, (*H*) haurire detur. Ex Cathedrâ, ſolenni Oratione, dicturus ſententiam ſum. Tu interim, Lector, fontem mihi, & qvi ebulliunt, torrentes conſidera. Fontem puta horrendam abſoluti Decreti Abyſſum: evoluti torrentes, *Gratiæ particularis*, *Voluntatis in Deo contrariæ*, & *non efficacium ſalutis inſtrumentorum* ſchemate præterfluunt. Tot jam exitiales vortices dixi, qvi miſeros ingurgitant & in deſperationis profundum trahunt. Nolim meis verbis fidem adhiberi: Adverſarii pro ſe loqvantur ipſi. Horrenda igitur Abyſſus eſt abſolutum Prædeſtinationis ac Reprobationis decretum, qvo *nemo ad vitam æternam prædeſtinatus eſt, ſi crediderit: ſed qvotqvot ad eam prædeſtinati ſunt, abſolutè & ſimpliciter prædeſtinati ſunt, itâ ut etiam ideò credant, qvia prædeſtinati* (*I*) *ſunt. Si non poſſumus* (ſunt *Calvini* verba) *rationem aſſignare, cur ſuos miſericordiâ dignetur, niſi qvoniam itâ illi placet: neqve etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, qvàm* (*K*) *ejus voluntatem. DEUS*, cenſente *Bezâ*, *reprobos odio habet nondum natos, & nullo indignitatis reſpectu* (*L*) *exitio deſtinavit*; adeò, ut (*M*) *tota reprobatio, ſeu ut eſſent*

vaſa

ἀνύδρων τόπων mentio fit. Similem fermè hallucinationem legas ibidem, dum ait: Matthæum c. VI, 11. panem ſuperſubſtantialem, Lucam verò cap. XI, 3. qvotidianum dixiſſe. Inverte. Notate hæc lingvarum Contemptores Vulgatiſtæ. In priorem verò locum confer etiam Muſculum fol. 375. ubi de Qvadrageſimâ. *H*) Luc. XVI, 24. *I*) Piſcator Vol. I. Loc. XIX. Th. 25. *L*) Calvin. L. III. Inſtitut. cap. XXII. §. 11. *L*) Beza ſup. c. IX. Rom. *M*) Zanch. L. V. de N. D. c. 2.

vaſa iræ & ignominiæ ex ſolâ Dei voluntate, non operibus prævıſis, pendeat. Ex qvo deinceps colligunt: *Deum* (*N*) *pro ſummo jure ſuo vaſa iræ non invenire, ſed facere.* Singula compendifacturus Sturmius: *Cauſa,* inqvit, *reprobationis ſola & tota & abſoluta eſt ſolum æternum liberrimum atq; juſtiſſimum beneplacitum DEI, univerſam reprobatorum indignitatem prævifam penitùs* (*O*) *excludens.* Qvid? annon hæc horrenda eſt abyſſus? Ipſius *Calvini* ſunt iſta: *Si ad æternam Dei ordinationem penetrare tentemus, profunda illa ABYSSUS nos* (*P*) *ingurgitabit.* Abyſſus ergò eſt; ſed & horrenda. Audi iterùm ejusdem blaſphema: *Quæro, unde factum eſt, ut tot gentes, unà cum liberis eorum infantibus æternæ morti involveret lapſus Adæ abſq; remedio, niſi quia Deo itâ viſum eſt? Hìc obmuteſcere oportet tàm dicaces alioqui linguas. DECRETUM quidem HORRIBILE fateor, inficiari tamen nemo poterit, qvin præſciverit, qvem exitum eſſet habiturus homo, anteqvàm ipſum conderet, & ideò præſciverit, quia decreto ſuo ſic ordinârat.* Hæc Reformatorum Patriarcha (*Q*) *Calvinus, quem qui rejicit, hæreticus eſt, rogo dignus eſt,* dictatore *Petro* (*R*) *Holdero.* Horrendam Abyſſum horribile iſtud decretum eſſe, cauſam adhuc ex *Calvino* audiemus: *Nulla* (recognoſce verba tua) *tentatione vel gravius, vel periculoſius fideles per-„ cellit Sathan, qvàm dum ipſos ſuæ electionis dubi-„ tatione inqvietans ſimul prava ejus extrà viam* (an„ revelationis?) *inqvirendæ cupıditate ſollicitat. Tùm,„*

N) Perkinſ. de Prædeſt. Th. XXVI. *O*) Sturm. de Prædeſt. Th. IX. *P*) Calvin. L. III. Inſt. c. XXIV. §. 3. *Q*) Ib. c. XXII. §. 7. *R*) Myſter. Holland. ap. B. Dn. Weller. Diſp. I. Anti-Maiſon. Th. II.

enim ſe in profundum immenſæ voraginis præcipitat, „ *tunc innumeris atq; inexplicabilibus laqveis ſe in-* „ *duit: tunc cœcæ caliginis abyſſo ſe adobruit. Et eò* „ *exitialior eſt hæc tentatio, qvod ad nullam aliam* „ *propenſiores ſimus ferè omnes. Rariſſimus enim eſt* „ *cujus non interdum animus hâc cogitatione feratur:* „ *Unde tibi ſalus, niſi ex Dei electione? Electionis* „ *porrò qvæ tibi revelatio? qvæ ſi apud qvempiam* „ *ſemel invaluit, aut diris tormentis miſerum perpetuò* „ *excruciat, aut penitùs attonitum reddit. Ergò* „ *naufragium ſi timemus, ſollicitè ab hoc ſcopulo ca-* „ *vendum, in qvem nunqvàm ſine exitio (S) impingi-* „ *tur.* Benè eſt, dogmatis tui noxam fateris, Sathanam verò ab ingenio revocare num auſis? Adhæc ridiculum Medicum, qvi urgente paroxyſmo, ægrotos, ut à morbo ſibi temperent, jubere velit. Maneat interim illud tuum: *qvi naufragium timet illi ab abſoluto tuo decreto ſollicitè cavendum eſſe.* Supralapſariorum, & qvi infrà lapſum ſubſiſtunt, ſententiæ, ſunt ad idem centrum recurrentes lineæ, qvod vel Epiſcopius † demonſtret. II. Ex hoc fonte fluit *Gratia particularis,* dum Patrem amantem ac promittentem, Filium patientem & redimentem, Spiritum vocantem regenerantemqve ad ſolos Electos, pauciſſimos mortalium illos pertinere fingunt. *Tantum abeſt,* inqvit *(T) Spanhemius, ut ſcriptura ſignificet Deum eſſe univerſaliter miſericordem ergâ omnes ac ſingulos, ut oppoſitum planè teſtetur reſpectu poſitorum ad iram, præſciptorum ad damnationem,* „ *& qvos*

S) Calvin. L. III. Inſt. c. XXIV. §. 4. T) de Grat. Univerſ. f. 1838.

† Inſtit. lib. V. Sect. V. cap. V. f. 410. ſeqq.

qvos Deus ab æterno odit. Negat dein *Deum Φιλάνθρωπον appellari, qvòd naturam humanam ſimpliciter, ſed qvod paucas perſonas amet.* Mareſius, qvâ pietate eſt, (V) Deum tantùm non *cum cane Φιλανθρώπῳ non omnibus ac ſingulis blandiente* confert. Os unum omnium eſt illud *Bezæ* in hæc verba effuſum: *hoc dico, nunqvàm tempus fuiſſe, vel eſſe, vel futurum, qvo Deus voluerit, velit, aut voliturus ſit ſingulorum miſereri; ſed ab æterno, pro bonâ ſuâ voluntate, & eâ qvidem cui reſiſti non poteſt, conſtituiſſe, & quorum in Chriſto miſereretur, &* (notate phraſin) *qvos (W) in Chriſto induraret.* Annulos in ſalutis catenâ itâ nectit hujus farris alius: *Reprobos Deus æternâ dilectione & electione ſuæ gratiæ nullo modo (X) dignatur.* Qvam impietatem contrà Socios etiam, *Amyraldum, Cameronem, Dallæum* aliqvantò mitiores non puriores, cum Spanhemio itâ defendit *Mareſius*, ut ſcribere non erubeſcat: *Glorior me nunqvàm Virus Univerſaliſmi, imbibiſſe, qvod Eccleſiarum qvietem perturbavit, & doctrinam alteravit: & ſi me eo ſentirem infectum, illud revomere vellem cum meo (Y) ſangvine.* Ex qva amoris Paterni reſtrictione alia hæreſis propullulat: Chriſtum ſcilicet pro ſingulis hominibus non eſſe mortuum. *Coram Deo*, inqvit *Beza*, *& totâ Eccleſiâ teſtamur, figmentum illud inauditum, qvod Chriſtus pro omnibus ſit mortuus & dilutum, blaſphemum, impium, falſum, inſulſū & in officinâ vertiginoſi ardelionis (Z) primum*

E 5

V) Mareſ. Epicriſ. Part. ἀνακεφ. fol. 9. W) Part. II. Reſp. ad Colloq. fol. 194. X) Rennecher. in aur. ſal. Caten. fol. 153. Y) Reſp. ad Epiſtol. Blondell. præfix. Epicriſ. Part. ἀνακεφ. (*********) 3. Z) Part. II. R. ad Colloq. f. 214.

mùm eſſe fabricatum. Zanchio (*a*) *Chriſtus tantùm eſt propitiatio pro peccatis electorum, & (b) ſangvis ejus non eſt ſecundùm propoſitum Dei & reipsâ pro improbis, & incredulis effuſus, ſed tantùm pro qvibusdam multis, hoc eſt, electis.* In ſimilia *Aretius* aliqvando ivit verba: *Non Chriſtus eſt datus omnibus Redemptor: nec Deus vult omnes homines ſalvare, qvi ſciens ac volens excluſit Judam, Pharaonem, nec Chriſtus eſt deſperantium ac damnatorum (c) Redemptor.* Unde cum *Perkinſo* (*d*) blaſphemè Chriſtum *Semi-Redemptorem* appellant, Sed, ſi velint τὴν θέσιν φυλάττειν, ne Semi-Redemptor qvidem fuerit. Divisô enim (*e*) Orbe cognito in XXX. æqvales partes, Chriſtianis ſolummodò V. Mohammedanis VI. Idololatris autem XIX. cedent. Cogas hûc diſperſos per Africam Aſiamqve Chriſtianos, qvàm exiguus ad cæteras gentes erit numerus: qvàm pauci inter ipſos Chriſtianos rectè credunt: qvàm pauci inter rectè credentes perſeverant ac ſalvantur? Horum pauculorum tamen Redemptorem tantùm faciunt Chriſtum Calviniſtæ omnes, *Wetteravi, Palatini, Angli, Haſſi, Helvetii, Genevenſes, Embdeni, Belgæ, Geldri, Hollandi, Auſtrales & Boreales, Zeelandi, Ultrajectini, Friſii, Tranſylvani, Omlandi, Drentani, Gallo-Belgæ* cæteriqve in Dordracena Synodo ad Art. II. ne modernis qvidem *Marchicis*, qvicqvid etiam fuerent, exceptis, qvibus tamen haut parùm ſinceriores fuerunt

a) Miſcell. f. 3. *b*) ibid. f. 200. *b*) Part. II. Problem. fol. 868. *d*) de Prædeſt. fol. 137. *e*) Vide Edoardi Brerevvoodii Scrutin. Religion. c. V. fol. 59. cum qvo omninò confer Biſſel. Ruinar. Illuſtr. Decad. 1. f. 179. ad 189. ubi rationibus ſubductis maximum damnatorum numerum eſſe oſtendit.

fuerunt *Haſſi* in (*f*) Colloqvio Caſſellano, Syncretiſtarum noſtrorum in nondum-Semi-Redemptore, qvodam Chriſto Fratelli. Qvid, qvod demùm cogantur concedere: *Reprobos* (*g*) *damnari, qvòd non credant huic mendacio Chriſtum pro ſe eſſe mortuum.* Qvis ad hæc non totus exhorreſcat? Hanc verò doctrinam non emollit privata Amyraldiſtarum opinio, qvod ex Mareſio & Spanhemio aliisqve alibi demonſtratum. Cùm igitur Chriſtum pauculorum Redemptorem faciant, non poſſunt Spiritus S. officium ſalutare concedere in commune. *Non omnes*, inqviunt Dordraceni, *qvi vocantur á Deo, vocantur, ſed loqvutione, id eſt externá hominis prædicatione vocantur omnes, qvibus verbum annunciatur: Virtute autem, id eſt, interná & efficaci operatione Spiritus Sancti ſoli electi. Sed neq; ad gratiam ſalutarem & gloriam vocantur omnes, qvi á Deo virtute interná Spiritûs* (*h*) *vocantur. Externam vocationem etiam ex Dei parte vanam eſſe* (*i*) *Altingius* cenſuit. *In ſolis electis* juxtà *Piſcatorem* (*k*) *Spiritus S. per verbum fidem efficit, adeò* (*l*) *ut reprobi reſipiſcere planè non poſſint.* Si qvid in Reprobis agat, ad

f) Hi enim faſſi ſunt apertè, Chriſtum non eſſe pro omnibus mortuum. Id Marchici absq; rubore negant, & tamen à reliqvis divortium facere non volunt. Scotomate verò plusqvam Sodomitico percuſſum eſſe oportet, qvi aucupantium horum tendiculas non animadvertat. g) Vid. Acta Remonſtrant. Part. Dogmat. à fol. 337. ad 346. necqvicqvam obnitente Mareſio Epicr. Part. ἀνασκ. fol. 416. ſeq. qvibus oppone Joh. III, 18. damnatus eſt, ὅτι, qvia non credidit.

h) Actor. Dordrac. P. II. Judic. Provincial. f. 40. i) Part. I. Probl. Theol. f. 46. k) Part. II. Reſp. ad Dupl. Vorſt. f. 306. l) Muſcul. LL. de Elect. q. X.

ad majorem id condemnationem facit, ut magis excœcentur, & obſtupeſiant. *Vocem enim ad eos dirigit, ſed ut magis obſurdeſcant: lucem accendit, ſed ut reddantur cœciores: doctrinam profert, ſed quâ magis obſtupeſcant: remedium adhibet, ſed ne (m) ſanentur.* Unde Spiritum S. dum reprobos illuminat, *Soli hyberno, lucenti, non calefacienti, & Martio, humores commoventi (n) non reſolventi* conferre non erubeſcunt. In ſumma: *Nego*, inqvit *(o) Spanhemius, vel Deum Patrem voluiſſe omnium & ſingulorum hominum miſereri, vel Deum filium voluiſſe omnes & ſingulos ad ſalutem conſeqvendam* (per Spiritum S.) *vocare.* III. Ut verò Scripturam hæc beneficia omnibus proponentem eò commodius perverterent, & fluenta gratiæ conturbarent, Deum, qvi qvod ore omnibus promittit pauciſſimis largiatur, ſibi confinxerunt. Inde *duplicem ac multiplicem Dei voluntatem (p)* paſſim apud Calviniſtas legas. *Id* enim *qvod in Deo occultum latet, interdum ab eo, qvod patefacit diſſentire, adeoq; voluntatem ſigni ſeu patefactam, ſive id, qvod Deus in verbo præ ſe fert, alteri arcanæ repugnare*, cum *Bezâ (q)* ſtatuunt. *Voluntate revelatâ in lege*, inqvit *(r) Zanchius, Deus vult omnes ſalvos fieri: at voluntate arcanâ, quæ & beneplaciti vocatur, non omnes ſalvos fieri cupit. Negat Piſcator (s) ſemper & ubiq; Deum, qvod lingvâ profiteatur, velle*: ut non ſit mirum eundem alibi (t) hanc

m) Sunt verba Calvini Inſtit. L. III. c. XXIV. §. 13. *n*) Mareſ. de Pecc. in Sp. S. Th. XIX. *o*) Præf. de Grat. Univerſ. *** 5. c. *p*) Calv. Inſtit. L. III. c. XXIV. §. 17. *q*) P. II. R. ad Act. f. 173. *r*) L. V. de Nat. Dei c. II. *ſ*) contr. Schafni. Theſ. CXX. *t*) R. ad Apolog. Bertii f. 145.

hanc blaſphemiam eructâſſe: *Deus loqvitur nonnunqvàm id qvod falſum eſt, nos autem falſa loqventi credere oportet.* Eſt cui videatur: *Deum voluiſſe voluntate ſigni, ut homo viveret, voluntate beneplaciti, ut (u) interiret.* Eſt, qvi *Deum, etſi qvippiam celet, illi qvod idem præſe fert, qvodq́; patefecit repugnans, propterea nec hypocritam, nec à ſeipſo diverſum eſſe*(w) ſibi perſvadeat. IV. Qvid mirum igitur ſi Verbum & Sacramenta tanqvàm ad Salutem inepta traducant? Sacræ Literæ, ſunt *Oecolampadii* (x) verba, *licet divinam veritatem & mandata denuncient: tamen in ſubſtantiâ ſuâ non continent eam operationem, ut dent vitam, gratiam, ſalutem, virtutem. Spiritus vivificat. Spiritus autem cum ſuis gratioſis operationibus non ſeſe immittit* (attendite) *in bruta elementa* &c. *cùm* (y) *Chriſtus nec in ſermone prædicato, nec in Bibliis lectis adſit. In regeneratione* (z) *hominis valdè fallitur & in Deum ipſum injurius eſt, qvisqvis aut hominibus, per quorum os loqvitur, vel ipſi externo Dei verbo vel Sacramentalibus ſignis Deum exiſtimât vel tantillum Divinæ illius ſuæ virtutis hominibus renovandis & æternâ vitâ in Chriſto ſervandis attribuere.* Ex communi proinde ſententiâ *Spanhemius: non exiſtimandum eſt*, inqvit, *miniſterium Verbi NB. ulli mortalium formidinem omnem, ſcrupulos omnes, & dubitationes omnes* (a) *eximere poſſe.* Nec minùs irreverenter de Baptiſmo ſentiunt. *Infantes Baptiſmo renovari* (b) *Beza inter abſur-*

u) Martyr. LL. Claſſ. I. c. XIV. §. 39. ww) Beza Reſp. ad Act. f. 173. x) de Verb. Cœn. y) Id. L. de Verb. Dom. z) Beza p.II. R. ad Act. fol. 116. a) Spanh. de Grat. Univ. f. 1536. b) Part. II. R. ad Coll. f. 122. Idem: *Reprobi*, inqvit, *etſi millies baptizentur, ta-*

abſurda ponere non dubitat. *Piſcator(c)* qvid apud ſe cum cæteris ſenſerit, his verbis palàm fecit: *Ego qvidem certò ſtatuo, neminem prorsùs ſive infans, ſive adultus ſit, per Baptiſmum regenerari: qvare nec ex hoc principio anxiam mentem erigere neceſſe habemus:* qvaſi cum Poëtâ diceret:

Ah nimium faciles, qvi triſtia crimina cædis
Tolli flumineâ poſſe putatis aqvâ,

Zwinglius etiam, *verba Chriſti (qvorum remiſeritis peccata,* &c.) *neqvaqvam eum ſenſum habere (d)* ſcripſit, *qvaſi Chriſtus hæc dicendo diſcipulis peccata remittendi poteſtatem dare voluiſſet.* Et ita ejus farinæ cæteri. Parum tamen ſolatii in tentatorum mentes reponunt, ſi ſtet ſententia, qvam interpres illorum expreſſit (e) *Molinæus: Qvi Reprobus eſt & in æterno Dei judicio ligatus, non poteſt ſolvi ab homine, viciſſim, qvi in æterno Dei conſilio ſolutus eſt, fruſtra ligatur ab homine. Qvapropter cum arcana electionis ſint ignota Presbytero, impoſſible eſt ut cognoſcat, an Abſolutio ſit arcano Dei conſilio conſentanea.* Sicuti porrò *(f) toto cœlo errare eos dicunt, qvi Sacramenta vim habere mundandi putant;* itâ cum eodem (g) *fidei augmentum & confirmationem Euchariſtiæ denegant.* Et hoc demùm Pelagus illud eſt, cui nemo, qvi naufragare nolit, ſeſe tutò committat. Plura non addo. Ne verò immerentia tàm triſtis fa-

ti titu-

men non regnerantur, aut fides, aut Chriſtus illis donatur. Colloq. f. 469. conf. Appelli Cenſ. fol. 66. c) Reſp. ad Taufrer. fol. 81. d) contr. Conf. Luth. e) In Hyperaſpiſt. adverſ. Sylveſtr. Petr. Sanct. c. XL. fol. 309. f) Comment. de verâ ac falſ. Relig.
g) Contr. Confeſſ. Luther. conf. Dnn. Darmſtatt. Deduct. Fund. fol. 904. ſeqq.

ti titulum præoccupare videantur, publico ſermone, deſperabundi inqve Mari mortuo, cæteris in documentum, fluitantis Calviniſtæ exemplo demonſtrabo. *Petrus* is eſt *Iloſvanus*, Scholæ Cyngerinæ in Pannonia qvondam Rector, qvi, qvòd ex Calvini decreto res ad reſtim rediiſſet, laqveo corporis & animi infirmo vinculo cohærentem ſocietatem dirimens, has Tabulas infeliciſſimi naufragii Teſtes (*b*) domeſticis legavit: *Nemo argumentetur: Deus omnes vocat: longè ſecùs ſe res habet. Calvini ſententiam de certo prædeſtinatorum numero qvisq; teneat-Damnatus ab initio damnatus, & juſtificatus ab initio juſtificatus. Neminem per externa bona opera ſalvat aut condemnat Deus, ſunt occultiores cauſæ. Vado IGITUR æternum dedecus Patriæ, fui figmentum & vas formatum in ignominiam. Nunc omnium peccatorum me aggreſſa eſt magnitudo, nunc horror Diaboli malus. Diſcedo IGITUR ad lacus infernales. Deo vos commendo, cujus miſericordia mihi negata eſt. &c.* In hunc ut accuratius intueamur, Veſtrâ mihi MAGNIFICE Dn. RECTOR, UTRIUSQVE REIPUBLICÆ CONSCRIPTI PATRES, OMNIUM FACULTATUM DOCTORES, LICENTIATI AC MAGISTRI, ſpledidiſſimâ & perhonorificâ præſentiâ opus eſſe intelligo. Adeſte igitur

b) Ex deſperatione ſuſpendio vitam terminavit d. XXII. Julii Anno M. D. LXII. relictâ ſchedulâ, in qvam deſperationis cauſam conſignârat, apud Georg. Major. comm. ad 2. Timoth. II. fol. 1109. Eſai. Silberſchlag. Conc. VI. de Prædeſt. Lit. l. aliosq;. Fuerit igitur Iloſvanus, Reformatorum hypotheſi, ad laqveum prædeſtinatus. In qvam rem confer facetum libellum den gepredeſtineerden Dief / qvem Arminiani Triglandio, Voëtio, Streſoni ac Jacobo Laurentiò inſcripſerunt.

tur freqventes, ſi veſtræ in egregium publicum Vigiliæ permiſerint, aut infacundus Orator mereatur. Operam certè id daturus ſum ſedulò ac diligenter, ut, ſive cum precibus obſervantia ſive officium abs me expectetur, operæ pretium, ad qvorum favorem parvitas mea recurrit, utcunqve faciatis. Lectiſſimi verò, qvos Genus & Literæ commendant, Studioſi, audientia ſuâ, me ſibi viciſſim promptum alacremqve reddent. P.P. Dominicâ Reminiſcere clↄ. Iↄc. LXVII.

Seqvitur ipſa

ORATIO

habita Lipſiæ

die VI. Martii

clↄ Iↄc LXVII.

B. C. D.

QVamvis non ſit ingenii mei, Magnifice DN. RECTOR, UTRIUSQ. Reipublicæ Conſcripti Patres, Omnium ordinum ac Dignationum Doctores, Licentiati ac Magiſtri, PATRONI obſervantiſſimi, Collegæ cum curâ colendi, Amici ſvaviſſimi, Tuqve circumfuſa Spes Patriæ, Studioſorum lectiſſima Corona; qvamvis non ſit ingenii mei Eloqventiæ vel muſculos explicare ad motum, vel membra coordinare ad decorum, vel ſangvinem diſtribuere ad æqvalitatem, vel venulas ſpargere ad vim, nedum totam ſpeciem ex omnibus aptam & pulchellè coagmentatam exprimere: poſtqvàm tamen divinâ aſpirante benignitate, Potentiſſimi

mi item Electoris Saxoniæ, nec non Reverendiſſimorum, Sereniſſimorum, Celſiſſimorumqve Dnnn. Fratrum, Dominorum ac Nutriciorum noſtrorum clementiſſimorum Gratiâ, ordinarium Theologiam docendi munus mihi eſt injunctum, in huncce locum auſpicalia qvædam, qvod benè vortat! ex more verba facturus, recipere me debui. Ne verò Vos ingrato Verborum ambitu detineam, cùm plurima mihi dicenda veniant, in ipſam ſtatim rem ex Areopagitarum inſtituto, me accingo, ſtiturus videlicet Vobis, *qvi Calvini jumento æternum ſibi exitium accerſivit, Deſperantem Reformatum: ut intelligatis, qvàm malè ſibimet illi conſulant, qvi in ejusmodi Doctorum gremia ſalutem ſuam reponunt.* Sicut autem in tàm turbido mari deſperans iſte diſpoſiti animi clavum tenere non potuit; itâ dabitis veniam mihi, qvando nec in dicendo ordinem ubiqve ſervo, qvi prætereâ ſummoperè contendo, ut ſi os orationi non inſit, aut marinam fortaſſis auditionem fluviali abluere ſermone neqveam, animos tamen in auribus veſtris habitantes & pauliſper vacuos commodare mihi velitis.

Si ſomnium, aut ludentis in ſomno Phantaſiæ anagrammata vobis narrarem, Auditores, veniam æqvi rerum judices habituri eſſent. Qvis enim unqvàm, ſi ſapiat, figurarum ſimulatori Morpheo jus dicere, Phantaſum in ordinem redigere, Icolon poſcere injuriarum auſus? Qvis ſomni errores luit, Somniorum ſupplicia tulit, mentis qvaſi captivæ, non ſuo, ſed organi vitio illata damna præſtitit? Vigilantibus unus communis Mundus eſt, ſopiti in ſuum ſinguli diſcedunt, *a*) unde neuter alterum ad alterius forum rapere poſſit.

 Nec

a) Heraclit. in Plutarch. moral.

Nec ſi ex Platonis Mundo Hominem in ſcenam producerem: Minotauros, Geryonas & cerberos e pergulâ pictorum depromerem, aut tragelaphos ex neſcio qvâ confictorum entium officinâ, nebulas qvaſi Ariſtophanis, aut Socraticas nubes coacturus, accerſerem. Impunè menti noſtræ, ſi rebus tunicas exuat, interulas ſpoliet, pelles abſtrahat, & tandē acumine ſuo confodiat, latrocinari datum: pictoribus atq; Poëtis qvidlibet audendi æqva ſemper poteſtas extitit. Licebit igitur & mihi, ut verum, qvi cæterorum ſui ordinis non fictas ſententias afferat, Hominem in theatro ſiſtam. Petrum intelligo Iloſvanum Calviniſtam, de ſalute primùm ambigentem, mox deſperantem, violentas ſibi manus inferentem, ad infernales lacus deſcendentem. Adeſte Viri Calviniſtæ, fidei veſtræ conſangvineo ſuppetias ferte: qvantum qvisqve veſtrûm optimus valet, nervos intendite: cum Sathanâ, qvia cum Calvini exitiosâ doctrinâ veſter Iloſvanus manus confert: genva labant miſero, lacerti vacillant, vires ſubſidunt, acies nutat, hoſtis jam jam triumphat: inferi cœnam parant.

Qvi non credit (attendite Auditores vocibus deſperabundi) damnatur: non credo, qvare damnor. Hoc argumentum concedendum & accuſanti conſcientiæ credendum eſſe, non obeſæ naris Ameſius *b*) olfecit. *Satis eſt*, regeſſit accerſitus fortè conſolator, *te olim credidiſſe*. Qvid inde ſolatii miſero: Credidi? an verè? At credere deſii: non verè igitur credidi. Fidem amiſi: non ergò veram. *Non eſt*, itâ Iloſvani verba intercépit Conſolator, *ut fidem amiſiſſe putes.* *Non* ideò

b) Conſc. Caſ. L. I. c. XV. n. 17.

ideò amiſiſti, qvia non ſenſiſti: Sepiùs credentium imbecillitate ad tempus ſopitur & ſepelitur veluti, ſi Spanhemium & Piſcatorem legiſti: (c) Legi, intellexi, probè memini: veram illam fidem fuiſſe nunqvàm credidi. *Excutiendi ſenſus ſunt & conſcientia, quæ, qvod credamus, nos convincit, reponebat ad Calvini mentem conſolator* (d). Miſerum Conſolatorem! Idem enim Calvinus cùm tabula porrigenda eſſet, aſſerem mihi ſubtrahit: experientia inqviens, (ô ſi non & meâ!) oſtendit reprobos interdum ſimili ferè ſenſu atq; electos affici, ut ne ſuo qvidem judicio qvicqvam ab electis differant; Senſerim aliqvando fidem, ſentire ut reprobus potui. *Cogita qvàm promptè beneficia Chriſti olim apprehenderis. Is enim fallere neſcius eſt veræ fidei character.* Utinam mi bone! qvaſi non & hydropici promptiſſimi aqvis immineant? *Noli, mi fili, in re ſeriâ ludere.* Miſeros verò, Iloſvanus excipere, animæ deſperabundæ jocos: an dememiniſti, qvid magnæ dignationis Couperus noſter (e) ſcripſerit: nullos eſſe promptiores ad beneficia Chriſti ſibi applicanda vel arroganda, qvàm ſint Reprobi, qvibus nullum in illa jus competat. Perkinſus etiam non ſemel fatetur: nullos ſæpè longiùs â fide abeſſe, qvàm illos, qvi ſe nunqvam de ſalute vel tantillum dubitaſſe jactent. Sed qvorſum hæc PATER? nunqvàm ego fidem ſenſi: & hoc eſt illud ipſum ulcus, qvod me urit, qvod abs te non leviter tangi, ſed curari velim. *Confide FILI, nondum enim conclamatum eſt. Scis* non

c) Vide Anti Calvin. fol. 196. d) L. III. Inſtit. c. II. §. 11.
e) Art. Remonſtr. fol. 269.

non omnes eâdem horâ vocari. Qvis verò me certum futuræ vocationis reddet? qvibus tabulis hanc fidem mihi præſtabis: Niſi fidem habeam, deſperandum. Noſti hos vel ex Calvino (*f*) individuos comites. Spes eorum eſt expectatio, qvæ fides credit. Qvod hæc credit, illa ſine hallucinatione expectat. *Et* ſperem ego, me vocatum iri, ſi non credam? Hîc nonnihil hæſitare, meditari & moras nectere Calvinianus ille Paracletus, tandem in hanc qvaſi ſententiam procedere: *Age, Fili, ſeriam delictorum pœnitentiam, ſancte vive, cætera divinæ bonitati, qvæ ultra qvàm ferre qveamus, tentari nos non ſinit, ſecurus committe; itâ enim exercitatiſſimus Ameſius tui ſimiles conſolari voluit.* (*g*) Et pœnitentiam agam, PATER, & piè vivam? lumen videlicet ſine luce, veram ſine fide pœnitentiam poſcis: ſine alis volare jubes. Niſi electum me eſſe probes, perinde fuerit, qvàm vivam piè: (*h*) etſi enim Reprobus omnia opera ſanctorum fecerit, impoſſibile tamen eſt ipſum ſalvari juxtâ Marloratum. *Fateor, Ilosvane cum Calvino (i) exitialem hanc eſſe tentationem, ſed, eodem monitore, ſollicitè ab hoc ſcopulo cavendum, in qvem nunqvàm ſine exitio impingitur.* Plura locuturum interpellans Ilosvanus: ô ridiculum, inqvit, Medicum, qvi ægrotum â morbo ſibi temperare jubeat. Vitent illi Syrtes, qvi ſunt in vado: ego proh ad ſcopulos, jam jam, niſi ſuccurras, mergendus, ſum alliſus. Non credo, qvia non prædeſtinatus: non prædeſtinatus

f) L. III. c. II. §. 42. *g*) Hodomor. fol. 412. *h*) Calvin. L. III. c. III. §. 25. *i*) L. III. Inſtit. c. XXIV.

tus ergò nec credam nec ſalvabor. Subveni Conſolator, qvid miſero ſit faciendum, in medium conſule. *Audi Spanhemium: Si hæc nondum ſentias, deſperare noli, ſed precare Deum.* At mi bone, *excepit Iloſvanus*, qvis precabitur absqve fide? Fide me deſtitui centies audiſti. Deſtituor verò, qvòd prædeſtinatum me eſſe nondum credam. *Si, mi Petre, Calvinum ſuſcipias, noli à Prædeſtinatione incipere; ſed exordium à Dei vocatione capiens in eâdem lætus recumbe. Crede, crede igitur: nam Deus te ad credendum vocat.* Si vocet, *inqvit alter*, benè eſt; ſed ſi ſeriò. Videbatur has deſperabundi voces non accuratè percipere Conſolator, qvas proinde explicatius in hanc ſententiam accepit: Unde qvæſo te, conſtat me & vocari, & vocari ſeriò? aut verbo aut revelatione peculiari? Hâc verò deſtituor, & prædeſtinatio inexplicabiles mihi nodos nectit. In hunc enim modum (cujus & Calvinus meminit) angor: unde tibi ſalus, niſi ex electione? electionis porrò qvæ tibi revelatio? Ex Dei vocatione, regerit qvidem Calvinus: At, inqvam, adhuc ego, unde mihi vocatio, niſi ex electione? electionis autem qvæ mihi revelatio? Plura dicturum impediens Conſolator: *Apage, inqvit, hanc circa Prædeſtinationem, ſollicitudinẽ & ad vocationem animum protinùs adverte.* Adverto, ſed unde mihi vocationis certitudo? *Ex verbo, verbo, mi Iloſvane.* Verbum, ô Conſolator, legi: ſed qvid ad me attineat, non inveni: ſi præſertim, qvod Spanhemius (k) voluit, verbi miniſterium nulli mortalium formi-

 dinem

k) de Grat. Univerſ. fol. 1536.

dinem omnem ſcrupulos & dubitationes in univerſum eximere qveat. *Bona verba, mi Iloſvane, Deus enim verbo ſe fidem operaturũ promiſit.* Per verbum, regeſſit miſer, ſed non per externum. Internum ad ſolos electos pertinet, de qvorum an ego ſim numero, eſt, uti ſæpè dixi, in incerto. Vocat externo verbo Deus omnes, ſed voluntate externâ, & qvæ ab internâ illâ efficaci longiùs, qvàm cœlum â terrâ diſtat. Externa vocatio ſunt Altingii verba (*l*), etiam ex parte Dei eſt vana. Et væ mihi, ſi externè tantùm & in ſpeciem vocer! Hoc enim, qvod nec Calvinus (*m*) diſſimulat, in majorem mei condemnationem, ut magis videlicet excœcatus obſtupeſiam, verget. Faxis igitur vel tandem intelligam an Deus ad vitam me aut interitum æternum vocet, ſi poſſis. *Nolim, mi Iloſvane, de benignitate Domini deſperes.* Qvidni, inqvit Petrus, deſperet, qvem ſpes decollavit. Spem poſcis, pœnitentiam ac fidem abs me fruſtrâ reqviris, mortuum ſaltare jubes. Ad verbum me ablegas; qvod nulli mortalium (cogor Spanhemii (*n*) iſta repetere) ſcrupulos eximere poteſt. Vehementer enim (alloqvar te Bezæ (*o*) verbis) falleris, inqve Deum ipſum es injurius, ſi externo verbo exiſtimes Deum vel tantillum divinæ illius ſuæ virtutis hominibus renovandis & æternâ vitâ in Chriſto ſervandis attribuiſſe. Eas ergò nunc & ad verbum vocationis me poſce. Qvoniam enim (cum Piſcatore (*p*) loqvar) verbum non eſt ſignum

l) P. I. Theol. Probl. fol. 46. *m*) Inſtit. Calvin. L. III. c. 24. *n*) de Univ. Grat. fol. 480. *o*) P. *II.* Actor. fol. 116. *p*) ad Matth XXIII. fol. 244.

ſignum, qvòd DEUS ſingulos, ſed tantùm pauciſſimos,convertere velit: Tu eqvidem probare non poteris, me ad pauciſſimos illos pertinere, niſi me electum eſſe, priùs oſtenderis. Ut in pauca ſermones contraham: Tu me reſipiſcere, verbo credere, optima qvæqve ſperare jubes. Mihi verò credendum eſſe qvomodo perſvadebis? Nî Deus vires ſuffecerit, in me nullas habebo. Solos electos fide donare irrevocabili decreto ab omni æternitate eſt conſtitutum. Electi igitur ſoli credere, ſoli precari, ſoli reſipiſcere poſſunt, ſoli ex ſerio DEI mandato debent. Electus an ſim, ambigo: verbum promiſſionis ad me pertinere, non intelligo: Singula ad electos pertinere, percipio. Plura de Electione ex more dicturum, iterùm interpellans Conſolator: *Sepone,* inqvit *qvæſo te mi Iloſvane, periculoſas de electione qvæſtiones.* Iterum mi Conſolator, repoſuit ille, ſeponere morbum jubes, cùm maximè ægrotatur. Cruciat, cruciat me, illud noſtri Piſcatoris (q) qvamdiu Chriſtianus fidem in ſe non ſentit, tamdiu manet ſine ſolatione, neqve de ſui electione eſt certus. Qvanqvàm enim ſubjungat, cogitantandum talibus eſſe, qvòd Deus arundinem qvaſſatam confringere nolit: ea tamen nil ad me, qvippe qvi non langvidâ ſed nullâ planè fide ſum inſtructus. Qvid igitur abſqve fide ſperem, abſq; ſpe mihi promittam? abſqve promiſſione ex fiduciâ cupiam? Cum enim iſta ſolorum electorum ſint, ſit, multos (agnoſcis Witakeri (r) verba) non fieri ſalvos, non qvod ipſi nolint, ſed qvòd Deus

q) Apolog. contra Rader. fol. 174. r) in 1. Tim. II.

non velit. Fruſtra ergò omnia, ſi electorum numero ab æterno non ſim adſcriptus. *Rurſus*, inqviebat Conſolator, *in eundem Vorticem relapſus es, Deſine vel tandem de Prædeſtinatione cogitationes ſuſcipere. Sufficiet enim tibi Calvini* (*s*) *judicio, te habere propitium, cui peccâſti.* Si habeam, regeſſit Ilosvanus, ſuffecerit. Propitium verò mihi eſſe æternum Patronum, unde, ô Conſolator, noſti, num ex Electione, num, qvæ in verbo habetur, externâ revelatione. At electio liber eſt ſeptem ſigillis clauſus: (*t*) Revelatio pro me in verbo nulla. Promiſſiones enim ſeriæ qvidem & efficaces, ad ſolos electos pertinere, probè ex Calvino (*u*) nôſti. Probes ergò me electum eſſe: aliàs ſurdo meras fabulas es narraturus. Fruſtrà (non ſunt mea ſed Steinii (*x*) ingenua verba) laborant, qvicunqve tentatos ejusmodi promiſſionibus DEUM omnibus ac ſingulis fidelibus propitium eſſe, peccata remittere, juſtitiam ac vitam largiri velle, erigere volent: Subinde enim ſimiles tentati excipient: qvanqvam Deus omnibus fidelibus promittat, ad ſe tamen, cùm fidem non ſentiant, necqvicqvam iſthæc pertinere. Eodem, mi Conſolator, in luto miſellus hæreo. Pauciſſimos æternus Pater diligit, qvid de me miſero, eheu, fiet? *Noli, Ilosvane, noli colligere: paucos; non ergò teipſum diligi.* O ineptum Conſolatorem! Unus, inqviebat olim Salvator, ex vobis me prodet: & in maximos conjecti mœrores diſcipuli leguntur. Ego verò non unum, non

s) L. III. Inſt. c. XXIII. *t*) Spanh. ap. Danh. Hodom. fol. 387. *u*) L. III. Inſtit. c. 24. n. 17. *x*) p. III. Fraternit.

non paucos, ſed longè plurimos ſuo amore dedignari Deum audio: maximam totius Mundi partem æternis ignibus ab æterno adjudicatam non ſine horrore intelligo. Veroſimiliùs igitur eſt, me in plurium qvàm pauciſſimorum cenſum venire. *Ulteriùs, mi Iloſvane, progrediamur oportet. Ad Chriſtum,* inqvit *Calvinus* (*y*) *convertendi ſunt oculi, in qvo ſolo Patris anima acqvieſcit.* Qvis verò (interfabatur tentatus) oculos fidei mihi præſtet? qvis Chriſtum ad me pertinere evincet? Cœcum me eſſe, dudum fui profeſſus. Qvòd Deus fidem largiri mihi ſit paratus, ex te percipere nondum potui. Qvantum Pater dilexit, tantum filius redemit. Solos electos ergò filius redemit, qvia Solos hos Pater dilexit. Regurgitor, ut vides, iterum in horrendam Prædeſtinationis abyſſum. Ex paucis ad me colligere, ne meis qvidem tironibus impunè licuit. *Fatendum omninò eſt, regerebat ex Pareo Conſolator, ex puris particularibus hic nil ſeqvi; ſed qvid obſtet, qvo minus cum hypotheticis noſtratium, qvos vocas, Doctoribus gratiam communem admittas? poſtqvàm & reliqvi, ſi conſcientia eluctari neqveat, in hanc ipſam viam redeant. Haut ſtultè enim (ſunt ipſius Amyraldi verba)* (*z*) *ſapiunt, qvi gratiam univerſalem impugnant, ſi qvando in eas formidines, qvas peccati ſenſus generat, aut incidunt, aut alios incidere vident, ſui dogmatis immemores, & ipsâ duce conſcientiâ ad ea ſolatia confugiunt, qvæ ſine Gratia univerſali conſiſtere non poſſunt.* Plauſibilis, mi Conſolator, oratio, ſed nihilo priori melior, ſi removeas velum. Chriſtus

y) L. III. c. 24. §. 5. *z*) ap. Spanh. de Grat. Univerſ. f. 1513.

enim (inqvit) pro omnibus mortuus eſt: Pater omnes ſalvari vult, ſi tamen in Chriſtum credant. Audi verò ſis Pareum: (a) Vult, inqvit ille, Deus & non vult omnes ſalvari diversâ ratione. Vult, ſi omnes in filium credant. Non vult, ſi non credant omnes. Sed (admitte in animum tuum hæc verba) qvæſtio manet: cur non omnes credant? dicunt, qvia non omnes credere velint. Verum eſt: ſed rurſus qværo, cùm fides ſit donum Dei, & Deus poſſit ſingulis fidem concedere, cur non omnibus eam largiatur (vel cur non in omnibus efficiat, ut credere velint. Hîc jubet Plato (Pluto opinor) qvieſcere. Hæc ibi Pareus. Cucurbitas lippire, & Saturnias in oculis lenias habere oportet, qvi mera hæc verborum ludibria non animadvertat. Qvorſum enim iſtud: Deum velle omnes ſalvari, ſi credant, ut autem omnes credant, ab æterno irrevocabili ſententiâ fuiſſe conſtitutum? En ſimile tibi promiſſum: Si cœlum digito tetigeris, hodiè mecum eris in Paradyſo. Qvis dicet (qværit non ineptè Spanhemius (b) Medicum ſeriò velle curare Phreneticũ eo remedio, qvod Medicus & nôrit, non poſſe recipi, & nolit ut recipiatur? Faceſſat igitur Hiſtrionica (Leidenſium encomio) illa Matæologia. *Ex vero te locutum, mi Iloſvane, non invitus fateor. (c) Non enim à communi doctrina noſtratium novi hi doctores recedunt. Fatentur nimirum Hypothetici, fidem eſſe ſolis electis deſtinatum donum: Fatentur ne externam qvidem vocationem ad Chriſtum fide amplectendum vel fuiſſe olim,* vel

a) Iren. fol. 259. b) De grat. univerſ. fol. 543.
c) ap. Spanhem. præfat. Exercit. de grat. univ.

vel hodieq́; eſſe univerſalem, & illam tamen ſolam eſſe miniſterium Spiritus, unicumq́; fidei in Chriſtum ingenerandæ inſtrumentum. Parum ergò (ſubjecit è veſtigio miſer) hæc ad me ſolandum apta fuerint, dum fixum manet illud: electus non ſum, ergò nec vocandus, nec ſalvandus ero. Juſſit qvidem Calvinus, *(d)* ut Chriſtum ceu ſpeculum electionis noſtræ absqve fraude contemplemur. Sed qvid contempletur cœcus, qvid ſpeculum illi ſolis electis propoſitum? Firmum te perſpicuumq́; teſtimonium habere, qvod libro vitæ ſis inſcriptus, ſi communices cum Chriſto, dixit ex vero Calvinus *(e)*. At habere me cum Chriſto communionem tùm demum credam, ſi prædeſtinatum me eſſe certis argumentis intelligam. Chriſtum ad me, Petrum Iloſvanum, pertinere ex Evangelio, paucis prædicato, non colligo. Qvæ ſalutaria ſunt, ſolis electis deſtinata eſſe percipio. Verbum vocantis omnes audio, ſed mentem DEI, qvâ paucos venire decrevit, non introſpicio. Firmitudinem electionis tandem ex Chriſti Paſtoris protectione Calvinus arceſſere conatur. Benè eſt, ſi ovibus ab æterno ſim adſcriptus. Sed cur non ſim hædorum aliqvis, cauſam negandi non invenio. *Bono te animo eſſe jubet, mi Iloſvane, Baptiſmus, qvô ſuos Deus in fœdus recipit.* SUOS, mi Conſolator? Proba verò tu, me ad fœderatos illos pertinere. Si ſim reprobus, nunqvàm vel millies baptiſmo tinctus, (qvod Beza non diffitetur) regenerabor. Incertus itaqve ſum internæ baptiſationis. Baptiſmum aqvæ, niſi internus acceſſe-

d) L. III. Inſt. c. XXIV. *e)* ibid. n. 5.

acceſſerit, cum ſigillo absqve literis perſonatus ille Maſſenius, (*f*) Becmannus non inſcitè contulit. Qvid multa? Sacramenta niſi mediante fide, gratiæ & vitæ non eſſe cauſas cum Ameſio *g*) mihi perſvaſiſſimum eſt. Fidem verò me nunqvàm habuiſſe conſcientiâ teſte, convictus ſum: me habiturum eſſe deincipe, oſtendere hucusqve neqviſti, qvia abſoluti decreti Tabulas non inſpexiſti. Non ſperandum igitur, ſed deſperandum: miſero eſt. *Commode ſuccurrunt, mi Fili, Amyraldi* (*h*) *quibus Calvinum defendit, ſolatii pleniſſima verba: Ejusmodi tentatione, inqvit, non ſolet diabolus eorum vexare conſcientias, qvi nullam adhuc gratiæ Chriſti vim, nullam ſpiritûs ipſius efficaciam ſenſerunt. Hoc telo adoritur, qvos gratiæ divinæ non eſſe penitùs expertes novit.* Qvid audio (regeſſit Iloſvanus) num omnes deſperantes gratiâ Spiritûs armati? num & Franciſcus Spiera fuit? Tentatus ille eſt, & ſuccubuit. At illos perire non poſſe credimus, qvos ſemel gratiâ ſuâ benignus Pater donavit. Periit, periit Spiera, dum de abſoluto decreto cogitavit. Eodem fato & ego mox mox peribo. *Abſit, abſit, mi Iloſvane, nondum ad reſtim res rediit. Periculosè qvidem de abſolutâ illâ & decretoria ſententia cogitatur; ſed ponamus, inqvit Amyraldus,* (*i*) *fideles in agone laborantes ſeſe hûc convertere: nil in iſto decreto, qvod perterrefacere aliqvem debeat, occurrit. Cùm enim vis illa Spiritûs, per qvam credimus, ab electionis propoſito deſcendat, qvi ſenſu peccati tangitur, qvi ſuſpirat, ad Dei miſericordiam anhe-*

f) IV. Anat. fol. 96. *g*) Bell. enerv. T. III. f. 30.
h) Def. Calvin. f. 141. *i*) loc. cit.

anhelat, is jam in ſe electionis ſuæ argumenta videre incipit. Impunè, objecit Tentatus, conſideret abſolutum illud decretum fidelis, at ego me non eſſe fidelem, ad ravim usqve toties inculco. Miſericordiam Dei anhelare non poſſum, qvia ſuſpiria hæc in ſolis electis ſpiritus Dei excitat. Oblitusnè adeò ſui eſt Amyraldus & Calvini: *k*) nunqvàm videlicet in hoſce ſcopulos ſine exitio impingi? *Video*, interlocutus Conſolator inqvit, *mi Petre, te non adeò diligentem fuiſſe in evolvendis orthodoxorum Scriptis, & tanqvam hominem de Scholâ emendandis ſtyli potiùs qvàm vitæ ac Religionis (qvod Auguſtinus de ſe ipſo conqveſtus fuit) nævis operam locâſſe: Succurrerent haud dubiè ſolida illa & ſucciplena noſtrorum conſilia.* Sim, excepit Tentatus, jejunus ego, in iſtis planè hoſpes; tuum certè erat, ceu Viri Religioſi, illa agonizanti ſuggerere, qvæ ex diligentiſſimâ doctorum evolutione habere te oportebat in numerato. Niſi tamen fallor, nil diligentiæ tu feciſti reliqvum, nil intentatum reliqviſti, nullum non lapidem moviſti: ſed tamen ut ipſe agnoſcis, mortuum ungvento perunxiſti, oleum & operam perdidiſti. Succurrunt eqvidem mihi nonnulla, ſed qvæ cum prioribus vel eadem ſint, vel pari infirmitate laborent. Fruſtrâ enim tentatum, qvi fidem non habeat, Beza monuerit, ut ſcrutetur, num ſit in Chriſto per fidem juſtitiam & ſanctitatem adeptus(*l*)? Scrutatus ſum, & eheu per conſcientiam ſentio me ad Chriſtum neqvicqvam pertinere. Eſſet aliqvid, ſi pulſantis gratiæ leviuſculum motum ſentirem: qvan-

k) L. III. c. XXIV. §. 4. *l*) vid. Hodomor. fol. 309.

qvanqvàm, juxtâ Maccovium, (*m*) Chriſtus etiam ad reproborum oſtia, qvos novit nec poſſe nec velle aperire, non ut intret, ſed ut condemnationem in illis adaugeat, nonnunqvam pulſet. In convivio qvidem (itâ habet Amyraldi conſolatio) apud ſe nemo cogitat, decretumnè in arcano Dei conſilio fuerit, utrùm ſit manducaturus, vel ſecùs: ſi ſapit, ſtomachum conſulit, & blandas convivatoris voces audit. Sed ego ſtomacho, qvòd Deus illum mihi non dare ab æterno decreverit, deſtitutus, nec eſurio, nec nauſeam ad ſpirituales illas dapes depono. Convivatoris igitur cœleſtis, blandæ licet voces ad me nihil. Soli electi his ferculis, qvæ cæteris ſunt odor mortis ad mortem, fruantur, oportet. Achillæum Spanhemii (*n*) argumentum hoc eſt: Miniſtrum decet propoſitionem majorem in Syllogiſmo hoc practico homini formidine peccati correpto annunciare: Omnis reſipiſcens & credens ſalvabitur. Sic hominis in hoc ſtatu conſtituti eſt minorem ex ſenſu conſcientiæ ſubſumere. Ego reſipiſco & credo. Laterem lavat Spanhemius. Mihi enim ex ſenſu conſcientiæ ſubſumendum eſt, qvod non credam, me verò deinceps crediturum eſſe, qvis niſi ad æterna Dei conſilia admiſſus polliceri auſit. Qvâ ſerie argumentorum Geldri conſcientias ſerenare laborent, non ignoro, qvàm verò nihil illorum miſerum erigat, meo proh! malo experior. Efficacem enim vocationem credere & inde miſericordiam DEI colligere me fide & fiduciâ caſſum vocationisqve planè incertum, jubent.

Rectiùs

m) Vid. Hodom. fol. 412. *n*) de Univerſ. Grat. fol. 1537.

Rectius opinor Piſcator: (o) qvamdiu, inqvit, Chriſtianus in ſe fidem non ſentit, tamdiu manet ſine ſolatio, nec de ſui electione certus eſſe poteſt. Hilarius Vedelii noſtri tàm frigidus eſt, ut legentibus catarrhus fluat tàm inſipidus, ut præ nauſeâ vel pelvim poſcat Ariſtophanes. Totum libri primum caput ex caducis hujus vitæ bonis amorem divinum æſtimare jubet. Qvaſi non etiam in parvis cum Reprobis jocetur ſors benignior, ut, cùm pretium operæ fuerit, magnâ mercede majori jacturâ fallat. In reliqvis ſolatium ex Gratiâ DEI in Jeſu Chriſto captare eos volunt, qvi hæc ad ſe pertinere jam intelligunt. Paucis enim, qvod ſæpiùs ingeminavi, hæc gratia fit, qvid ergò ad me? *Minus rectè, excipiebat Conſolator, argumentaris: paucis communicari gratiam, qvod te non eſſe ex illorum cenſu. Crede modò te eſſe, & rem habebis in vado.* Vanum profectò Conſolatorem! Da verò qvam toties imperas fidem & jube, qvid tandem velis. Ipſe Piſcator (p) non aliter, qvàm in hanc ſententiam argumentari fuit auſus: Gratia nonnullis offertur animo communicandi. Fieri igitur poteſt, ut & ego ſim in illo numero. Cur enim non potiùs ita: gratia cùm ne milleſimo concedatur, credibilius eſt, me ad nongentos illos & nonaginta novem pertinere. Nugas ergò agit Hilarius Vedelii, (q) qvando triſtes itâ alloqvitur: qvanta tua eſt felicitas, qvòd electis tot myriadibus hominum, DEUS ex merâ gratiâ te elegit? Electum enim, qvi de electione

ſuâ

o) Reſp. contr. Roder. fol. 174. p) Contr. Schafmann. Vol. 2. diſp. Th. 86. q) Cap. III.

ſuâ ſit certus ſolari tàm eſt in proclivi, qvàm imber, qvando depluit. Delebit omnia ignita tela Sathanæ illo Apoſtoli (r): qvid Nos ſeparabit à charitate DEI, Bucanus (s) noſter, ſi me ad illud nos pertinere, mihi perſvaſerit. Id enim vel maximè perſvadendum erat. Charitas ergò DEI nil ad me, qvia nil illa ad Reprobatos. *Apprehende,* inqvit *iterùm Conſolator, Chriſtum & cætera DEO committe.* Actum agis, regeſſit Ilſvanus: manum enim, qvæ Chriſtum apprehendat, Deus ab æterno mihi denegavit. O qvàm verè cenſuit Calvinus (t) noſter: Prædeſtinationem verè eſſe labyrinthum, unde hominis ingenium nullo modo ſe qveat explicare. Vera non minùs ſunt illa Wendelini: (u) Qvi fidem in ſe nullam ſentit, nec unqvàm ſenſit, nec de Electione nec inſtauratione ſui certus eſſe poteſt, qvamdiu in hoc eſt ſtatu. Væ ergò miſero mihi: fidem ego nec ſentio nec ſenſi unqvàm, qvare nec de electione nec inſtauratione mei certus eſſe poſſum. Deſperet oportet, in qvo plurima Reprobationis ſigna, nullum verò electionis apparet. *Nondum deſponde animum,* inqviebat Conſolator: *fortaſſis hac nocte, futuro manè, te vocaturus eſt Deus. Nec enim liceat & mihi cum Wendelino loqvi* (x) *hîc illud tritum valet:*

Qvi non eſt hodiè, cras minùs aptus erit,

cum Vocationis ac diſpenſationis divinæ momenta varient. Tuum, mi Conſolator, fortaſſis illud per meum NON fortaſſe ſolvitur. *Spero tamen ego,* regeſſit

r) Rom. IIX. s) Loc. 36. f. 409. t) Comm. Rom. XI. fol. 84. u) Exercit. 70. fol. 1154. x) loc. cit.

regeſſit abituriens Miniſter, *meliora, DEUM, ut cor tibi aperiat, precibus hâc nocte tui causâ fatigaturus.* Ingemuit miſer, frigidum Conſolatorem abs ſe dimiſit, & nihilo meliùs ſe habuit. Subindè enim hoc Siſyphi Saxum Cere-comminuens-brum volveſe, deſperationis nodos neqvicqvam diſſolvere, ſolidiora inter ſuos Solatia gratis qværere, nullum ſalutis indubitatum ſignum offendere, in iſthæc tandem verba erumpere: Nunc demùm vera in noſtros ſcripſiſſe Epiſcopium, (y) & ſerò nimis deprehendo: Doctrina abſoluti illius decreti non paucos mortales ab omni retrò ævo adduxit, hodieqve adducit aut ad deſperationem, aut ſecuritatem, qvæ duæ Religionis omnis peſtes ſunt. Exempla paſſim proſtant. Qvod enim ad deſperationem attinet, facillimus ex iſto dogmate in eam prolapſus eſt, cùm multò plures ad mortem abſolutè reprobatos eſſe, qvàm ad vitam electos doceant. Inter plures iſtos ſe eſſe etiam, qvis non facilius credet, qvia nullum certum atqve infallibile argumentum aut indicium dari poteſt, ex qvo, inter paucos eſſe, ac non poſſe non eſſe, ſibi perſvadeat, aut perſvaderi ab aliis ſinat? Ex vero, inqvam, ſunt iſta omnia: nam

Qvid vetet in multis nomen ineſſe meum?

His procellis miſerimus ille jactatus, nec fidem ſentiens, nec ullius Divinæ promiſſionis certus: ô abſolutum illud, horribile illud, decretum illud, clamare: ô denegatam mihi ab æterno Paternam gratiam, ingeminare: ô Chriſtum pauciſſimis mortalium deſtinatum: ô verbum augendæ damna-

G tioni

(y) L. IV. Inſtit. Sect. IV. c. VII.

tioni forinſecus tantum mihi adnunciatum, conqveri: In cœlis non Patrem; ſed Saturnum filios devorantem: non Fratrem; ſed horrendæ Reprobationis judicem & executorem: non Paracletum, ſed Spiritum in verbo excœcantem: non Angelum Cuſtodem ac Comitem; ſed cum zizaniis æternæ fornacis victimam, me demetentem invenio. Non eſt qvod me ſoletur in univerſo Mundo, cujus elementa electis tantùm cooperantur in bonum. Utinam verò ignis in primum mei nihilum me redigeret: terra Iloſvanum nunqvàm rediturum ſepeliret: mare Phocis concoqvendum ſubmergeret: aër nunqvàm reddendum Spiritum ad ſe revocaret! Verùm enim verò apud inferos domicilium mihi ab æterno paratum ſentio, ubi exqviſitiſſimi, & non terminandi cruciatus me expectant. Hos oculos, qvos abſolutum illud decretum excœcavit, per æternas tenebras iræ divinæ mordaciſſimus fumus torqvebit: Hæ aures, qvas abſolutum decretum obturavit, perpetuis ejulatibus opplebuntur: Lingvam iſtam, qvæ Deum ex abſoluto decreto laudare nunqvàm potuit, hi ipſi dentes præ dolore mordebunt: Cor illud, qvod ex abſoluto decreto vas gratiæ eſſe non debuit, vermis infernalis arrodet: totus deniqve Petrus hic Iloſvanus æternis ignibus perpetuò uſtulandus, nunqvàm comburetur. Væ miſero, væ deſerto, væ rejecto, væ jam jam damnando. Terret me loci chaos horrendum, terra tenebrarum, neſcia ſolatii ſocietas, ſceleratorum colluvies, reſpublica, in qvâ nullus ordo, ſed omnium deteſtanda confuſio. Terret me pœnarum, ne ad

pun-

punctum qvidem mitigationis capax, acerbitas: terret Gehenna, in qvâ omnes exqviſitiſſimorum cruciatuum apices eminenter concurrunt, ut nil ad illam ſint Eqvus Aruntii, Perilli Taurus, Neronis flammantes pali, Laurentii craticulæ, Tyrannorum cruces, crurifragia, forcipes, fidiculæ, plumbum liqvens, unci, Scaphiſmi, Cyphoniſmi, tympaniſmi, & qvicqvid Mezentius cum cæteris crudelitatum Magiſtris excogitaret. Hæc verò tot mala, qvod longè eſt maximum, coronat termini nullius capax, qværqve immaniſſimam flammæ vim ſemper, ut corpus umbram comitatur, ſuppliciorum æternitas. Plura dicturum lingva deſtituit, & officium ampliùs facere recuſavit. Intereâ torſit ſe miſer, cui extingvi qvàm ſupereſſe tamen non utilius videbatur, trepido & anxio conſilio qværens, qvanam tandem ratione vitâ, ut æternum videlicet moreretur, exire poſſet. Sumpto igitur calamo has in chartam, tremulâ manu, palpitante corde, adſtrictis oculis, fronte adducta, horrendas conjecit voces: O me infeliciſſimum omnium, qvia ſatius fuiſſet, me nunqvàm natum! Verum, certum eſſe numerum ſalvandorum eſt, hoc ex me animadvertite, ſed qvid ad me? hoc itâ neceſſariò fieri debuit. Nemo igitur argumentetur: Deus omnes vocat, longè ſecus ſe res habet. Calvini ſententiam de certo prædeſtinatorum numero, qvisqve teneat: de me intelligo, qvemlibet antè uterum matris Prædeſtinatum, vel ad vitam vel ad mortem, qvod nunqvam qvisqvàm, niſi in horâ mortis cognoſcere poteſt. Ego ſum ex numero damnatorum: ergò Deo nunqvam ad-

ſcribi poſſum. Hoc certò credatis rectum eſſe, qvod Paulus ſcribit: (z) Miſereor, cujus miſereor. Damnatur ab initio damnatus, & juſtificatur ab initio juſtificatus. Neminem per externa bona opera aut mala opera ſalvat aut condemnat DEUS, ſunt occultiores cauſæ. Vado igitur æternum dedecus Patriæ, fui figmentum & vas formatum in ignominiam. Nunc omnium peccatorum me aggreſſa eſt magnitudo, nunc horror Diaboli malus, diſcedo igitur ad lacus infernales. Deo vos commendo, cujus miſericordia mihi negata eſt. Occultior autem eſt hujus rei cauſa, qvàm ut humana ratio perſpicere poſſit. Hæ ſunt ultimæ voluntatis Tabulæ, qvas Iloſvanus triſtiſſimi fati futuras teſtes, violentâ morte confirmavit? Abjecto enim calamo, (intrâ ſe has Sathanæ voces qvaſi exaudiens: mea præda illa eſt, proin tu te in laqveum duas) feralibus nodis gulam præfocavit, citius ſibi vitam, qvàm funem abrupit. Hoc videlicet erat, majori miſeriâ minorem redimere, & mortem anticipando felicem ſeſe æternâ conſtituere infelicitate. Eant nunc vel illi, qvi è furno lacuqve redeunt, & negent Calvini doctrinam non tàm dependentium (Independentes enim audire nolunt) qvàm ſuſpendentium, Matæologiam eſſe. Qvid veri jam vobis videtur, Auditores? Nonnè (ut cætera ſilentio premam) Penſilis Iloſvanus ſuo damno docere poteſt, citiùs ex pumice aqvam, qvàm ex Reformatorum Miniſtris ſolatium exprimi? Enimverò qvamdiu Calvini ſputa lingunt, ceu hactenùs intellexiſtis, lapides elixant, aqvam piſtillo tundunt, & inſinuatis manibus vicini periculi magnitudinem aſpectant. Arrigant verò aures

z) Rom. IX.

aures Pamphili, noſtri Syncretiſtæ: fundamentum ſalutis inter Reformatos necqvicqvam qværant: in fraternos amplexus illorum, qvi ubi vaſtitiem fecerint, pacem vocant, velut œſtro percuti ruant? & incuriæ ſuæ vel pacificæ affectionis mantelum circumdent, aut pii affectûs purpuram, Eccleſiæ damno, prætexant. Nos interim precemur Deum, ut Eccleſiæ ſuæ vera Halcyonia concedere, Sathanamqve, qvi ſumptâ conſangvinei, ac in Chriſto Fratris perſonâ, incautos reiqve ſacræ parùm ſatagentes circumvenire ſtudet, brevi ſub pedes noſtros conterere non dedignetur. A Pſeudoprophetis, falſis fratribus & Syncretiſtis libera nos DOMINE! Κύριε ἐλέησον! Præſta qvæſumus, Patriæ PATRIBUS ac Nutriciis noſtris clementiſſimis Vitam prolixam, Imperium ſecurum, Domum tutam, ſenatum fidelem, Populum probum, orbem qvietum, & qvæcunqve Chriſtianorum Principum vota eſſe poſſunt. Tueatur gratia tua Patriam, urbem noſtram, utramqve in eâ Rempublicam, Magiſtratus ac ſubditos, ut concordes, piè, ac tranqvillè hanc vitam tranſigentes TE, poſt placidam ἀνάλυσιν, illìc beati ſine fine perfruamur.

DIXI.

PROGRAMMA VIII.
RECTOR
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS
ad
ORATIONEM
D. 31. Octobr. peractis Sacris matutinis, in Æde Paulinâ, in memoriam feliciter per B. Luth. Cœptæ Reformationis

habendam

UTRIUSQ; REIP. PATRES AC CIVES invitat.

QVantis navicula Chriſti, Eccleſia, tempeſtatibus agitata ſubinde fuerit, Hæreſium Hiſtoria ignorare neminem facilè patitur. Satis ad fidem faciendam fuerit, vel *Simonianorum*, *Menandrianorum*, *Ebionæorum*, *Cerinthianorum*, *Nicolaitarum*, *Pſeudo-Apoſtolorum*, *Gnoſticorum*, *Valentinianorum*, *Marcionitarum*, *Encratitarum*, *Cataphrygum*, *Montaniſtarum*, *Pepuzianorum*, *Florini*, *Blaſti*, *Berylli*, *Arabianorum*, *Helceſatiarum*, *Novatianorum*, *Noëtianorum*, *Sabellianorum*, *Nepotianorum*, *Samoſatenianorum*, *Manichæorum*, *Hieracitarum*, *Arianorum*, *Meletianorum*, *Aſterianorum*, *Dulianorum*, *Macedonianorum*, *Marcellianorum*, *Photinianorum*, *Luciferianorum*, *Anthropomorphitarum*, *Donatiſtarum*, *Circumcellionum*, *Parmenianorum*, *Jovinianorum*, *Apollinariſtarum*, *Meſſalianorum*, *Pnevmatomachorum*, *Acatianorum*, *Aërianorum*, *Priſcillianiſtarum*, *Dorotheanorum* *Pſatyrianorum*, *Patricianorum*,

rum, *Pelagianorum*, *Neſtorianorum*, *Acephalorum*, *Aphthartodocetarum*, *Monotheletarum*, *Agnoëtarum*, *Monophyſitarum*, *Stavrolatrarum*, *Charurgitarum*, & ſimilium monſtrorum, de qvibus Hæreſiologi videndi, nuda in ſcenam produxiſſe nomina. Nulla tamen hæreſium Eccleſiam adeò afflixit, aut itâ caput extulit ſuum, uti Papiſmus. Hic etenim non ſolùm ex omnibus fermè hæreſibus conſutus Cento; ſed inter omnes ad ſummum culmen evectus eſt. Cum *Samaritanis Simoniani* traditionibus immorabantur; *Carpocrates* Commenta ſua privatis myſteriis colorabat: *Gnoſimachi* Lectionem Scripturarum plebi proficuam eſſe, inficiabantur; *Simonis* Simonia nota eſt: ſed & poſt mortem ψυχῶν κάθαρσιν ſeu animarum purgationem aſſerebat; *Montanus* qvoqve animarum purgationem apud inferos admiſit. *Marcellina* Carpocratianæ Sectæ Imagines adoravit, uti *Chatzinzarii* & *Stavrolatræ* crucem adorâſſe; *Angelici* verò Angelos, *Collyridiani* Mariam coluiſſe leguntur. *Hemerobaptiſtæ* qvotidianâ qvaſi aqvâ luſtrali uſi fuerunt: *Marcoſii* baptiſmum ignotâ lingvâ adminiſtrârunt: *Manichæi* à calice Domini abſtinuerunt: *Acephali* Hoſtiam aſſervantes in Paſchate demùm diſtribuêre: *Encratitæ* Carnibus & Conjugio (qvod & *Manichæi* fecerant) ſuis interdicentes, nuptias ſcortationem appellabant: *Novatiani* ſecundùm conjuges à ſacris arcebant myſteriis: *Montanus* ὁ νηστείας νομοθετήσας qvòd ſcilicet leges jejuniorum condidiſſet, ab Eccleſiâ hæreticus eſt habitus: *Marcion* copias Maris ſeu piſces, ſanctiorem cibum deputabat: *Nudipedales* nudis incedebant pedibus: *Helceſaitæ* lingvâ incognitâ orârunt: *Heracleonitæ* morientes

ut ab æternâ morte redimerentur, oleo & balſamo certis invocationibus inungebant: *Chriſtiano Categori* Chriſti & Matris ejus imagines venerabantur &c. Nonnè verò hæc omnia (non deſcendamus, qvod alii fecerunt, ad Gentiliũ ritus, qvos Papiſtæ imitantur) *(a)* in Papatu vigent? Qvid dicemus de *Phariſæis, Neſtorianis, Pelagianis?* qvibus Romanenſes tàm ſunt ſimiles, qvàm non ovum ovo, aut lacti lac eſſe poteſt. Cæterùm de pertinaciâ hujus Sectæ res ipſa, proh dolor, loqvitur: ut Hodegum ejus Antichriſtum in Eccleſiâ, qvâ eam parte premit, ſeſſurum non vanè fuerit prædictum. Is, poſtqvàm *Bonifacius III.* ſeculo VII. (licet *Victore* Romano violentiùs Paſchalem pertractante controverſiam: *Zoſimo* etiam, *Bonifacio I.* ac *Cœleſtino I.* durante Concilio Carthaginenſi, ſummâ vi & fraudulentiâ, falſatis etiam Nicenis Canonibus, qvibus auſis tamen exciderunt. AntiChriſtus myſterium iniqvitatis jam peregerit:) audaciùs ungves explicare vellet ſuos, operâ Parricidæ Phocæ, Titulum *Univerſalis ſacerdotis* ſibi arrogâvit. Qvod nominis tamen anteceſſor ejus *Gregorius vanum, prophanum, blaſphemum perverſum ac ſtultum* (*b*) ex merito adpellavit. *Ego*, inqvit, *confidenter dico, qvia qvisqvis ſe Univerſalem ſacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſuâ AntiChriſtum præcurrit* (*c*) Id verò non in Conſtantinopolitanum ſolummodò Patriarcham: ſed in Epiſcopum etiam Romanum dictũ fuiſſe, ex ipſo Jure Canonico (*d*) ad oculum patet. Sanè ipſe Gregorius (*e*) ſe itâ vocari prohibuit. Ab eo tempore

a) Vid. B. Hunn. qvòd Eccleſ. Rom. non ſit Chriſtiana.
b) Lib. 4. Ep. 32. 34. 38. ſeq. *c*) L. VI. Ep. 30.
d) D. XCIX. C. primæ ſedis, C. Nullus & C. Ecce.
e) L. VII. Ep. 30. d. c. Ecce.

pore Filius ille perditionis ſtrenuè ſuum agens, & apoſtaſiam magnam in myſterio peragens, Apoſtolicâ fidei puritate pedetentim obliteratâ innumeras in doctrinam & cultum novitates invexit, & intolerabilem, præſertim à Gregorii VII. ſeu Hildebrandi ævo, in conſcientias, imò & eos, qvos ipſe Deus in his terris Deos dixerat, qvi *2. Theſſ. II. 4.* ipſiſſimus Antichriſti character eſt, dominatum ac tyrannidem exercuit. Longum foret ire per Hiſtorias, & ſingula corruptelarum novitatumqve momenta, qvæ Tridentinum poſteà Conciliabulum, cùm maximè vellet doctrinam repurgare, tanqvàm fidei articulos, ſimul ac ſemel mortalium conſcientiis ſub anathemate obtrudere auſum fuit, ad ſua, id eſt, minùs Apoſtolica, unde omninò fluxerunt, principia revocare. Compendium rei facturi, poſt B. Hunnium, iteratò & confidenter provocamus omnes, qvotqvot ubiqve ſunt Papiſtarum, petimusqve: *oſtendant nobis Eccleſiam particularem in toto terrarum Orbe, aut Virum ſaltim unicum inde ab annis 1500. vel ab initio Eccleſiæ Chriſti in ſeptimum usq; ſeculum, qvi cum hodiernâ Romanâ Eccleſiâ in omnibus ſimul doctrinæ capitibus plenè conſentiat.* Agnoſcent, opinor, æqvitatem poſtulati hujus, qvamdiu idem à nobis poſtulare non erubeſcent. Cui tamen, qvâ fide, qvo ſucceſſu à noſtris ſatisfactum ſit hactenus, ſcripta publica teſtari poterunt. Nec verò cordatioribus probatum iri confidimus novum illud εὕρημα Walenburchiorum, qvi neſcio cujus Præſcriptionis prætenſo Titulo, Romanam Sectam ab onere probandi immunem reddere laborârunt. Ut enim non longiùs non abeamus (1) Jus Divinum aliter diſponit, *Matth. XVIII. 9. 1. Tim. III. 2.* (2) Exempla

Chriſti & Apoſtolorum aliud monſtrant. (*f*) Reſponſionem Salvator aliqvando diſtulit, nunqvàm, nunqvàm Præſcriptionis prætextu declinavit (3) Veritas, qvia juris divini & ſupernaturalis eſt, ipſo Tannero (*g*) judice præſcriptibilis non eſt. (4.) Nec, ſi maximè in foro Poli haberet locum, propter Captivitatem (*Babylonicam*) (*h*) furorem (*& Tyrannidem Pontificum*) (*i*) cucurriſſet; cùm eandem per iteratam teſtium veritatis coràm bonis Viris interpoſitam proteſtationem, ut alia fundamenta non attingamus, interruptam fuiſſe, manifeſtum ſit. Sed benè eſt, qvòd Papiſtæ poſtulato noſtro ſatisfacere neqveant. Qvantus inter Jeſuitas Tannerus fuerit, ipſimet non ignorant. Is tamen, cum (*k*) talem aliqvem, cujus meminimus, Virum producere magno conatu laboràſſet, neminem invenire potuit. Probaturus enim (1) *ante 1500. annos Eccleſiam Romani Pontificis infallibilem autoritatem agnoviſſe*, fateri præprimis cogitur, pauca admodùm exiſtere; qvæ verò exiſtant, omnia fermè à Lutheranis rejici antiqvitatis teſtimonia. Unicam verò tandem Anacleti adducere potuit Epiſtolam. At ea, qvæ indigitat, teſtimonia, ceu ὑποβολιμαῖα & fidei ſubleſtæ, à prudentioribus etiam Papiſtarum rejiciuntur: Sicut Anacleti Epiſtolas Cuſan. (*l*) Lorin. (*m*) Simon. Vigor. (*n*) Ant. Auguſtin.

f) Conf. poſt ipſummet Salmeronem, qvi Tom. VIII. Commentariorum omnes Chriſti diſputationes ordine complexus eſt, B. Hulſem. de Præſcript. Th. LI.
g) Tom. III. Diſt. IV. dub. 6. n. 74. *h*) c. primâ 16. q. 3.
i) c. porrò d. q. 3. *k*) Part. 2. Anatom. demonſtrat. 2. §. 215. ſeq. *l*) de Concord. Cathol. l. II. c. 34. L. III. c. 2. *m*) in Act. I, 13. *n*) ad Reſponſ. Synodi Gveil. Baſil. fol. 28.

guſtin. (*o*) apocryphas,mendoſas, ſuppoſititias,& nullius fidei eſſe profitentur: & ipſe Bellarm. (*p*) (qvicqvid Turrianus Jeſuita, qvem Blondellus tamen depexuit, oggerat) indubitatas affirmare non auſus eſt. (*q*) Mirandum qvoqve eſt, ne in ipſius qvidem Concilii Tridentini (qvod omnes tamen hæreſes extirpare voluit) ullo Canone infallibilem Rom. Epiſc. autoritatem vel ad credendum ſub anathemate propoſitam, vel contrariam doctrinam hæreſeos damnatam eſſe. Probè etiam novimus, qvòd non Galli ſolùm, ſed & Hiſpani huic Romanorum formulæ (*Epiſcopos locum principalem à Pontif. Rom. dependentem, habere*) ſtante pede contradixerint, & Papæ prætenſam *authoritatem paſcendi regendiq́ Eccleſiam Univerſalem*, (*r*) admittere nullatenus voluerint. Idem Tannerus juſſus (2) oſtendere *ante annos 1500. creditum fuiſſe*, qvem hodiè jactant, *indulgentiarum Theſaurum*, ne unicum qvidem ex universâ antiqvitate (*s*) nominare potuit. Juſſus (3) aliqvem, *qvi ante annos 1500. opera ſupererogationis* (rectiùs ſuperarrogationis) *credidiſſet*, neminem (*t*) producere valuit. Qvòd *Miſſa* (3) ſit *pro defunctis Sacrificium*, ad Jacobi provocat Liturgiam: qvam ipſe tamen Bellarminus (*u*) itâ interpolatam eſſe confitetur, *ut qvæ tandem ejus pars S. Jacobum autorem habeat, ſit incertum* (*x*). *Communionem* (4) *ſub una* (*y*) nullo autore confirmat: qvod mirum eqvidem non eſt. Impii

o) In Collect. Adriani I. cap. 9. *p*) Lib. II. de Rom. P. c. XIV. *q*) Conf. Contium Not. in diſt. 99 c. Provinciæ. *r*) ut eſt apud Svavem Hiſtor. Concil. Trid. l. 7. fol. m. 738. *s*) §. 217. ſeq. *t*) §. 219. *u*) L. de Scriptor. fol. 48. ſeq. *x*) Conf. Rivet. Critic. L. I. c. 3. *y*) §. 239.

pii enim Concilii Conſtantienſis (*Obſtantienſis* juxtâ B. Luth.) (z) ſunt iſta (ut ipſe Papa Gelaſius (*a*) appellaret) *Sacrilega: licet Chriſtus poſt cœnam inſtituerit, & ſuis diſcipulis adminiſtraverit, ſub utraq; ſpecie panis & vini hoc venerabile Sacramentum: tamen hoc non obſtante* &c. *Et ſimiliter, licet in primitiva Eccleſia hujusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus ſub utraq; ſpecie; tamen hæc* NB, *conſvetudo eſt introducta, qvòd à laicis tantummodò ſub ſpecie panis ſuſcipiatur* &c. (5) In cæteris *Jubilæo, Imaginum cultu, Invocatione Mariæ, Conjugio ſacerdotum, Corp. Dom. circumgeſtatione, aqvæ, olei, ſalis benedictione* &c. maximè ſudat, ut, non qvidem ab annis 1500. qvi ſaltim in ſpeciem aliqvid dixiſſe videri poſſet, unum alterumqve obtorto collo hûc trahat. Et notum eſt, ipſos Adverſarios (qvod alibi deducunt noſtri novationum ſuarum Autores nonnunqvam commemorare. Summa: *nuſpiam, nuſpiam, nuſpiam talis fides & cultus, qvalis Profeſſione Tridentinâ, Miſſalibus ac Marialibus eſt definitus, in Prophetis, Evangelio, Epiſtolis Apoſtolorum, & Symbolis Oecumenicis*, qvod ad novitatem ac Hæreſin Papatſis demonſtrandam ſatis eſt. *extat.* Qvantam verò præterea Romani Epiſcopi Tyrannidem in omnem Hierarchiam exercuerint, Majores noſtri, ſuo proh! malo experti fuêre. Parum erat, ob diſſenſionem à placitis Antichriſtianis, ſuſcitare bella, tot myriadum cædes, mactationes & vivicomburia (ut inebriaretur, ſcilicet Meretrix de ſangvine ſanctorum & Martyrum Jeſu (*b*) ante B. Lutheri ortum (*c*) qvod ipſi Carni-

z) Seſſ. 13. *a*) D. II. de Conſecr. c. comprimis 12.
b) Apoc. XVII, 6. *c*) Vid. Innocent. IV. & Frid. II. ſangvinaria edicta in VII. Decret. de Hæret. c. 1. 2.

Carnifices diffiteri non audent; ſed, qvæſito colore, qvaſi re benè geſtâ, in his tyrannidis ſuæ documentis, (*d*) triumphant. Parum hoc erat, niſi etiam miſellorum conſcientiæ inexplicabilibus deſperationis laqveis induerentur. Uti enim *nullam habere poſſunt fatis firmam conſolationem Conſcientiæ piorum adverſus terrores peccati & mortis, & adverſus Diabolum ſollicitantem ad deſperationem, ſi non ſciant, ſe debere ſtatuere, qvòd gratis propter Chriſtum habeant remiſſionem peccatorum,* (*e*) Itâ *Pontificii peſſimè conſulunt piis conſcientiis, cum docent, per opera mereri remiſſionem peccatorum, qvia conſcientia colligens per opera remiſſionem, non poteſt ſtatuere, qvod opus ſatisfaciat Deo: Ideò ſemper angitur, & ſubinde alia opera, alios cultus excogitat, donec prorſus deſperet. Hæc ratio extat apud Paulum, Rom. IV. ubi probat, qvòd promiſſio juſtitiæ non contingat propter opera noſtra, qvia nunqvam poſſemus ſtatuere, qvòd haberemus placatum DEUM.* (*f*) Qvare *hæc doctrina conſcientias relinqvit ambiguas, ut nunqvam pacatæ eſſe qveant, qvia lex ſemper accuſat nos, etiam in bonis operibus* (*g*). Cujus rei tot Ordines Monachorum, ſatisfactiones, jejunia ac indulgentiæ indicio eſſe poſſunt. Ut ipſimet etiam Adverſarii, accedente diabolicâ illâ de dubitatione ac ſalutis incertitudine doctrinâ cum Breſſero (*h*) *qvòd Papæi conſcientia nunqvam qveat eſſe ſerena,* fateri non erubeſcant. Qvis verò cæteros hujus Sectæ, *qvæ ſpiritibus impoſtoribus ac doctrinis dæmoniorum attendens, probibet contrahere*

d) ap. Sander. L. VIII. de Viſib. Monarch. Eccl. demonſtr. 43. fol. 734. *e*) ut loqvitur Apol. A. C. fol. 221.
f) Apolog. A. C. fol. 119. 123. *g*) l. c. f. 128.
h) lib. II. de Conſcient. c. XIII.

here Matrimonium, & jubet abſtinere à cibis, qvos Deus adſumendum cum gratiarum actione creavit (*i*) nævos recenſeat? *Cum duplicantur lateres, venit Moſes.* Qvare miſertus Eccleſiæ Deus, cùm Populum ſuum ex ſervitute ſpiritualis Ægypti educere vellet, fidelis in domo ſuâ Moſis, *B. Lutheri*, operâ, Majorum noſtrorum ævo, uti decrevit. Qvod qvomodo contigerit, ordine, ſed breviter, commemorabimus. In denſiſſimis qvidem Papatûs tenebris, tempore, qvo, Aſtronomis teſtibus, Lucifer non auguſtior lucidiorve apparuit, Eccleſiæ Phoſphorus futurus, anno 1483. 10. Nov. in Vigiliis Martini, Islebii naſcitur Lutherus: cui tamen Deus futuro operi ſufficientem gratiam maturè admetiri dignatus fuit. Cum Cucullo enim non Monachum, ſed ſacrarum literarum, qvas præter Sociorum morem, oppidò ſibi reddidit familiares, Studioſum videri poterat induiſſe. A Sene etiam qvondam ordinis Auguſtini, cui conſternationes animi æger expoſuerat, recreatus, in Acropolin ſalutis noſtræ, juſtificationis ac fidei naturam diligenter inqvirere, fiduciamqve in meritum Salvatoris ipſis operibus longè præferre cepit. Qvanqvàm verò anno 1508. Wittebergam, Dialectices Phyſicæqve Ariſtotelis Profeſſor, evocaretur, impenſiùs Theologiæ ſtudium divino inſtinctu, coluit. Enixiùs igitur ſacros libros evolvere: Ebraicæ Græcæqve Lingvæ, ad fontes ritè intelligendos, unice ſe dare: auditores, ut idem facerent, cohortari, & ſcholaſticæ Theologiæ principia ex ipſis ſcripturis pedetentim evertere. Cùm Romam triennio poſt miſſus abominandam *Sanctæ ſcilicet* Urbis confuſionem penitiùs

i) 1. Tim. IV, 1. 3.

tius cognoſceret: Doctor etiam, impenſis Frider. Elector. glor. record. factus, in enarratione Pſalmorum & Epiſtolæ ad Rom. Legis ab Evangelio diſcrimen accuratiùs adverteret, nihilqve coràm Deo hominem mereri poſſe, contrâ ſcholæ Doctores, ex ſacris literis, diſcentibus inculcaret: odium adverſus Romanenſium profanitatem altiores in ipſo radices ex merito egit. Et hunc, futuro Soli, ſalutaris illuminationis phoſphorum ſapientia divina præmittere voluit. Sec. XIII. ut notum eſt, *Bonifacius VIII.* centeſimo qvovis anno celebrandum inſtituerat Jubilæum, (*k*)qvod, ut aurea hæc meſſis eò freqventiùs inexplebili Curiæ Romanæ objiceretur avaritiæ, ad qvinqvageſimum *Clemens VI. ſec. XIV.* ad 25. annum verò *Sixtus IV.* reduxit, primusqve *anno 1475.* celebravit. Poſtmodum qvovis tempore, & qvâvis occaſione, indulgentiarum merces exponendi poteſtatem ſibi arrogarunt: qvod vel *Julii II.* Teutonici in Livoniâ & Pruſſiâ Ordinis militibus *anno 1510.* conceſſæ teſtari poſſunt indulgentiæ. De Succeſſore verò ejus *Leone X.* ipſe Guicciardinus (*l*) *commemorat: qvod maximum in Germaniâ, Saxonicâ præſertim, ſcandalum præbuerit Romanæ ſedis,* Uſata troppo licentioſamente da Lione, *autoritas, dum ſine diſtinctione temporum & locorum indulgentias ampliſſimas per totum Mundum ſparſerit, qvæ non ſolùm proſint viventibus; ſed etiam, qvæ liberarent animas defunctorum à pœnis purgatoriis: cum tamen* (le qvali, perche era notorio, che ſi concedeavno ſolamente per extor-

k) B. Lutherus in Art. Smalcald. f. 324. aureum, auriferum Gûlden-Jubel-Jahr appellat.

l) lib. 23. Hiſtor. f. 397. Edit. Ital. Venet. 1610.

extorqvere danari da gli huomini &c.) *ad emungendum homines pecuniâ tantum concederentur. His autem principiis forſan honeſtis aut juſta ſaltim occaſione* (da qveſti principii forſe honeſti, ò al meno per la giuſta occaſione, che gli Lutero era data &c.) *permotum Lutherum ſeſe Pontifici oppoſuiſſe*, idem ſcriptor (*m*) fateri non dubitat. Et ſanè res itâ habebat. Poſtqvàm enim *Leo* ultrà modum prodigus, *Magdalena* autem Soror ejus, *Franciſco Cibo, Innocentii VIII.* ex Papalis continentiæ voto procreato *Spurio*, elocata nimiùm faſtuoſa eſſet: *Laurentio Puccio* IV. Sanctorum Cardinale impulſore, & Belli Turcici ac Baſilicæ Petri extruendæ prætextu, iis, qvi ſumptibus in tantam gratiam faciendis non parcerent, in integros VIII. annos indulgentiarum, omniumq; delictorum expiationis, animabus etiam in purgatorio profuturæ forum aperuit: Saxoniæ verò proventum *Magdalenæ* ſuæ maturè aſſignavit. Hæc, ut tempeſtiviùs ampliorem ſegetem demeteret, *Johanni Angelo Arembolde* J. U. D. Protonotario, referendario Apoſtolico, nec non Epiſcopo, aureorum vellerum peritiſſimo qvidem tonſori, tandem verò inter adulteræ complexus confoſſo, id negotii dedit, ut avaris ille qvæſtoribus & æruſcatoribus aliis miſeros pecuniâ emungendi faceret protinùs poteſtatem. Proceſſit adeò ſacrilegum opus ſub manibus: nec Eremitici Ordinis, qvod alias amabat fieri, Auguſtinianis; ſed, præter ſolitum, qvi Dominici ſuperſtitiones ſectabantur, Prædicantibus Monachis, interqve eos famoſo illi, qvi eandem fabulam ex voto jam in Livoniâ ſaltârat, *Johanni Tetzelio*, Pirnenſi Miſnico, Lipſiæ tandem mortuo

m) l. c.

tuo & apud Paulinos ſepulto, Hæreticæ pravitatis hæreticiſſimo Inqviſitori qvem Maximilianus Imperator Oeniponti in adulterio deprehenſum & jam jam culeo, ut in flumen præcipitaretur, inſuendum, Sax. El. Friderici interceſſione permotus, dimiſerat) commisſum fuit. Hunc ſtrenuè adjuvit *Albertus Brandenburgicus* Germaniæ Primas, Mogunt. & Magdeb. Archi-Epiſcopus, qvi pluribus Epiſcopatibus inhians, & ad redimenda Pallia pecunias hoc modo corradens, ſpolia ex æqvo dividebat. Jam verò dum non inſolito tantum verborum apparatu & impudentiſſimis ex ſuggeſtu præconiis; verùm etiam ſparſo Tetzelii libello, qvem ſummariam inſtructionem appellavit, hæ indulgentiarum (diplomatis archetypum, qvod etiam, ut ubiqve ſcilicet impingeret, in Syntaxin peccans ità ſonat: *autoritate Apoſtolicâ te concedimus facultatem &c.* Academia noſtra exhibere poteſt) merces per Germaniam, Saxoniam præcipuè, venales exponuntur; non parum offenſionis ac ſcandali in animis auditorum, qvi ſacram illam pecuniam in luſtris ac popinis, aleâ & neſcio qvibus adhuc aliis ſceleſtioribus modis profundi viderant, excitatum fuit. Majus erat, hac impiâ mercaturâ Chriſti merita infatuari ac blaſphemari; hominum verò extolli, & ſalutarem doctrinam de hominis peccatoris gratuitâ coram Deo, per ſolum Chriſtum verâ fiduciâ apprehenſum, juſtificatione, penitùs everti miſelloſqve in ineluctabilis deſperationis abyſſum præcipites agi. Qvare, cum hoc Tetzelius (ut geſtorum compendium faciamus) in oppido Jüterbocco, tertio à Wittebergâ lapide, inſanis clamoribus ageret, *Lutherus*, in Academiâ qvippe Doctor & Profeſſor, in Eccleſiâ verò Presbyter

officii ſui, ex injuncto ſategit, &, ſicuti jam *anno 1516.* contrà Scholaſticorum deliria de Lib. Arbit. operum meritis, ac traditionibus humanis publicè vulgata themata defenderat; ità nunc tandem Concionibus primùm, tùm XCV. Theſibus (*n*) ad Templum, qvod Arci Witteb. contiguum eſt, affixis, publicè contradixit, Tetzelium cum Paraſtatis, ut voce ſcriptove, ſi qvid haberent, opponerent, invitavit: adeoqve ſalutaris, qvæ inde ſecuta eſt, Reformationis, felix cum DEO fauſtumqve exordium fecit. Contigit hoc ſemper nobis commemorandâ *die 31. Octob. in Vigiliâ omnium Sanctorum Anni 1517.* admirandis prætereâ characteribus, ex qvibus unicum duntaxat hâc vice commemorandum duximus, inſigniti. Creârat eodem anno Cardinales XXXI. multa aureorum millia eâ ratione corradens, Leo, & ecce, ipſiſſimo ſolennium die tanto impetu Roma concuſſa fuit, ut DEUS ingenti fulminis tempeſtate tonitruumqve fremitu Templum, in qvo ſacra peragebantur, feriret, & ligneus ille puerulus è gremio ſculptæ Mariæ, clavesqve è Petri manibus exciderent: qvod Romanorum non pauci, ruinam ſedis Romanæ, multis tùm acerbis Carminibus exagitatæ, portendere, haud vanè (nam id eventus inſtantis Reformationis luculenter comprobavit) interpretabantur. Sed hæc alii fuſiùs. Nos interim *Celſiſſimi & Potentiſſimi Principis ac Domini* JOH. GEORG. II. *Elect. Saxon. &c. Domini ac Nutricii noſtri Clementiſſimi*, cui recens natum Nepotulum, avitæ ſeu orthodoxæ Religionis ac univerſæ domûs Saxonicæ, qvod optamus & ſperamus,

n) qvas Tom. I. Jen. fol. 7. Tom. IX. Witteb. fol. 9. & Tom. I. Altenb. fol. 14. ſeq. exhibet.

mus, Columen futurum, ſubjectiſſimè gratulamur, pietatem in Deum qvotannis deinceps imitari, & hæc divinitûs his Terris conceſſa beneficia debitâ gratiarum actione, piisq́ve pro intemerati divini cultûs inter nos conſervatione precibus, comitari per omnia convenit. Qvem in finem cùm *Excellentiſſimus Dn. Jacobus Thomaſius, P. P.* Vir undiqvaq́ve Celeberrimus, Collega noſter honorandus, in *Æde Paulinâ, finitis d. 31. Octob. Sacris antemeridianis, Solenni Oratione* devotionis Academicæ Interpres ſit futurus: Patres Utriusqve Reipublicæ Conſcriptos, Literatiq́; ordinis Fautores univerſos, qvâ decet officioſâ humanitate rogamus, ut noſtræ pietatem ſuam conjungere, & facundiſſimum Oratorem pro tempore verba ſolennia facturum, de ſtudiorum, officiorumq́ve redhoſtimento planè ſecuri, patienter auſcultare ne dedignentur. Studioſæ Juventutis, cui benevolentiam noſtram nunqvam non ſumus probaturi, obſeqvia nobis etiam non rogantibus certò pollicemur. Procedemus verò ex Sacello D. Nicolai in Vigiliâ omnium Sanctorum ſeu dictâ d. 31. Octobris poſt auditam IX. B. V. P.P. d. 30. Octobr.
M. DC. LXIIX.

PROGRAMMA IX.

Ad

ORATIONEM

In Obitum

DN. SAMUELIS LANGII,

Doctoris ac Prof. Theologi, Ingenuæ Cathedral. Miſn. Eccl. Canonici, Conſiſtorialis Electoral. & Ducal. Saxonici, Eccleſiæ ad D. Thomæ Paſtor. & Diœceſ. Lipſ. Superintendentis,

νῦν ἐν ἁγίοις,

VI. Novembr. finitis ſacris matutinis in Major. Colleg. habendam

Magnificum Academ. Rectorem
Utriusq; Reip. Proceres ac Cives

FAC. THEOL. ACAD. LIPS.
DECANUS.

invitat.

PRoceſſerat in autumnum annus Chriſtianorum poſt mille ſexcentos qvadrageſimus qvartus, cùm defuncto XXI. annorum Pontifici, *Urbano IIX.* (me qvondam cum Parentibus exulatum mittenti) ex Pamphiliorum familiâ *Innocentius X.* (decennio pòſt, tot dierum agonem, ex divinâ vindictâ, *qvòd nimiam*, uti populus Romanus interpretatur(*a*) *Donnæ Olimpiæ facultatem conceſſiſſet*, ſubiturus) Votis Cardinalium LVII. ſufficeretur. Is ab impudentiſſimo Gnathone ſcriptum, Autori verò Anagramma & Elogium nominatum, horrendis in Deum, ipſius

a) Apud Carjer. Chronol. Pontif. fol. 402.

ipſiusqve Filium blaſphemiis ſcatens, vulgari, ſibiqve per *Melchiorem Incophorum Jeſuitam* offerri paſſus eſt; qvod Romæ tunc præſens, *αὐτόπτης*, & omnia aliorum invidiam diligenter annotans, *Laurentius Banck* Romæ Triumphanti hoc tenore (*b*) inſeruit:

Anagramma ſeu Elogium Digniſſimi Nominis
CARDINALIS PAMPHILII,
Florentiam, & Neapolim Kalendis Auguſti transmiſſum, ac Romæ divulgatum & oblatum Illuſtriſſimo Domino,
MARCHIONI CASSANO JUSTINIANO,
Per Patrem Melchiorem Incophorum Jeſuitam
& Mecœnatem optimum.

Eminentiſſime & Reverendiſſime Domine
CARDINALIS PAMPHILI.

,, 1. Philius Dei (ſuperlativus Amor Patris, qvia ,, *Φίλτατος*, ideò Philius dictus) ex æternâ ejus cha- ,, ritate, qvâ ſe Deo Patri obtulit in amantiſſimum ,, interceſſorem, ac Mediatorem Dei, & hominum, ,, ab inſtanti conceptionis in utero B. Virginis, factus ,, fuit Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Mel- ,, chiſedech, ac Primus Pontifex Optimus Maximus.

,, 2. Sed Philius, fuit Philius, non fuit Pamphi- ,, lius.

,, 3. Fuit intercerceſſor Dei & Hominum.

,, 4. Non fuit Univerſalis mediator Angelorum, ,, & Hominum, ſeu Pamphilius.

,, 5. Si ex nominis analogico æternoqve ana- ,, grammate præſagire licet myſterium aliqvod in ,, tempore: Tu ab æterno prædeſtinatus es, eſſe Pam- ,, philius in terris, ac dici Pamphilius, æmulus Filii Dei ,, in cœlis.

b) f. 233. ſeqq.

„ 6. Pamphilius ergò eris. Univerſalis nimi-
„ rum Reconciliator Angelorum & Hominum in ter-
„ ris hoſtiliter pugnantium, Regum ac Populorum.
„ 7. Qvod præſtabis non niſi electus in Ponti-
„ ficem Optimum Maximum.
„ 8. In cujus fauſtiſſimum augurium, Evangelus
„ ego, felixqve nuncius ter Sanctos Pedes Eminentiæ
„ Veſtræ ex nunc deoſculor.
„ 9. Qvod etiam Græcè ſcripſi, decem ab hinc
„ annis in græcâ noſtrâ Academiâ Baſilianâ, in Co-
„ lumbæ veſtræ ſtemmate τὰ τῆς εἰρήνης σύμβολα,
„ Rex pacificus eris & Clementiſſimus

Orator ter genuflexus Italo-græcus
Ego Jo. Baptiſta Catumſyritus.

Qvis ferret hæc in ſimplici, qvi pius eſſe volet, ruſtico? Ecce enim, horreſco referens, *Pamphilius Filii Dei in cœlis æmulus: imò plus qvàm æternus ille Filius, Romanus Pamphilius* (cujus pedes *ter ſanctos* cum inſigni blaſphemia appellant) *dicitur.* Cardinalis etiam *Columna*, in Lateranenſi Baſilicâ claves oblaturus, his Innocentium X. verbis eſt allocutus: *Nos te ſolum noſtrum Patronum, caput ſummum & Epiſcopum ac Spiritualem Patrem Unicè veneramur, colimus & adoramus, & nos omniaq; noſtra paternæ, & PLUSQVAM DIVINÆ tuæ diſpoſitioni ac curæ reverenter ſubmittimus ac ſummè commendamus*, (c) Nolo jam technas, fraudes ac machinationes, qvibus Pontifex eligi ſolet, commemorare. Hunc Tu verò Petri Hæredem & Succeſſorem diceres? Qvis enim Apoſtolornm Chriſti hæc nefanda admiſit? qvis ex illis Filio Dei ſe prætulit,

tulit,

c) apud Bank. l. c. fol. 385.

tulit, aut præferri paſſus fuit? qvis τρισάγιον ſibi cantari, pedesqve ter Sanctos dici ac adorari ſivit? Qvousqve hæc pateris Domine? Petrus Cornelio adoraturo: *Surge*, inqviebat, *& ego ipſe homo ſum.* (d) Herodes, cum ſimiles adulantium admiſiſſet voces, ab Angelo percuſſus & vermibus eroſus confeſtim expiravit. (e) Hîc verò plùs qvàm Herodem eſſe, ſi hoc de induſtriâ ageremus, oſtenſu eſſet facile. Dicitur Papa *Dominus Deus noſter.* Extrav. Joh. XXII. cum inter de V. S. Tit. XIV. c. IV. Gloſſ. Panigarola (f) *per Unum Dominum* Papam intelligit, illumqve ſolum, *non Deum & Chriſtum*, Eccleſiæ caput eſſe blaſphemat. *Enimverò*, inqvit Textus Italicus, *che biſogna havere un ſignore ſolo, ma qveſto è Dio, o vero qveſto è Chriſto? O miſeri come ſiete ingannati. Qvanto à Dio: dunqve una Chieſa ſola ſarebbe qvella de i Chriſtiani, de gli Hebrei, è de i Turchi, per che tutti hanno un capo ſolo, che è Dio: E qvanto à Chriſto: dunq; una Chieſa ſola ſarebbe qvella de gli Arriani, de i Macedoniani, de i Manichæi, de i Pelagiani, è di voi è di noi, perche tutti confeſſiamo un Chriſto &c.* En, probat qvòd *Unus ille Dominus.* (g) ſit ſolus Papa, qvia Deus & Judæorum ac Turcarum, Chriſtus verò Hæreticorum, Arianorum, Macedonianorum, Manichæorum, Pelagianorum qvoqve caput ſit. Papa Nicolaus in textu ait: *Papa à nemine poteſt judicari, qvia eſt Deus: Deus autem à nemine judicari poteſt* (h). *Papa immutare rerum naturas & aliqvid de nihilo producere poteſt* (i). *Papa*

H 4 non

d) Act. X, 25. e) Act. XII, 22. ſeq. f) apud B. Dorſch. Anti-Kirch. fol. 126. g) Eph. IV, 5. h) D. XCVI. c. 7. i) juxt. gl. X. de Transl. Epiſc. c. qvando.

non eſt homo. (*k*) *Papa impunè poteſt multos populos catervatim in gehennam ducere* juxta Canoniſtas, qvi adducunt illud: *Sit pro ratione voluntas.* Regerit qvidem Bellarm. Gloſſam vel ab ipſo Pontifice tanqvam falſam eſſe ſublatam in novâ Editione decreti, vel *nunqvam in decreto fuiſſe;* ſe certè eam reperire non potuiſſe. At hodieqve extat in Editione juſſu Gregor. XIII. Lugdnn. 1618. in fol. impreſsâ, in Clement. de cenſ. exactioni. procurat. L. 3. Tit. XIII. c. 1. ad verbum *volumus.* Citatur etiam à Panormit. (*l*) Nec verentur aſſerere: *qvòd Papa poſſit contra V. ac N. Teſtamentum*, Panormit. & Decius. (*m*). Aſcribam horrenda illa Chryſoſtomaſtri (imperfectum opus in Matthæum, Chryſoſtomi non eſt *Longè enim cautiùs loqvitur Johannes Chryſoſtomus, negatq; ſecundum matrimonium fornicationem eſſe*, inqvit ipſe Annotator ad hunc textum) qvæ in Jure Canonico approbant: *Secundam* (uxorem) *qvidem accipere, ſecundùm præceptum Apoſtoli* (*n*) *eſt; ſecundùm veritatis autem rationem verè fornicatio eſt.* (*o*) Qvòd ſi verò hæc deſignant, Scripturas detorqvent, Dei ac Chriſti qvæ ſunt, ad ſe rapiunt; qvid mirum, ſi Romanus Pontifex ſolus & unicus totius Eccleſiæ Chriſtianæ velit eſſe Miniſtri-fex? Nata inde vox non hominis, ſed latrantium canicularum: *Apud Evangelicos nec veri nominis Sacerdotes, nec clavium eſſe poteſtatem:* Ein Lutheriſcher Superintendent (itâ

k) Gl. c. fundamento, de elect. in 6. &. Lud. Gomez in Reg. Cancell.

l) Cap. 1. de Conſtitut. Extr. & Extr. de Translat. Epiſcop. *m*) In c. ſi gratioſè, de reſcript. in 6. c. propoſuit. c. de conceſſ. præbend. & ibid. gl.

n) 1. Cor. VII. *o*) C. XXXI. q. 1. Can. hâc ratione.

(itâ nuper dedecus illud Sileſiæ calumniabatur.) wäre nicht mehr ein Prieſter als ein Bürſtenbinder. Tirini Jeſuitæ ſunt iſta: *Poteſtas ordinandi Paſtores Eccleſiæ, ſeu majores ſeu minores, eſt penes ſolos Epiſcopos, qvia penes hos ſolos eſt ordo Epiſcopalis.* Addit: *Nullos alios extrà Eccleſiam Romanam Miniſtros vel Superintendentes aut Seniores cenſeri Paſtores Eccleſiarum.* (p) Non eſt, qvare ad noſtratium hactenùs nondum refutata Scripta (qvibus omninò accenſemus invictam *B. Hülſemanni* Apologiam Miniſterii Evangelici, pro Miniſtro Ordinationis Sacerdotalis Lipſiæ anno 1657. publicè diſputatam: qvæ facilius qvidem à Rom. Pontifice, *inciviliter* & ne Titulo qvidem rectè inſpecto, qvod collatio docet, judicante, publico decreto *Romæ 13. Nov. 1662. ne qvisqvam cujuscunqve gradus & conditionis eam vel legat vel retineat*, damnari, qvàm confutari potuit) (q), hoc loco provocemus. Qvoniam enim Papiſtæ cum Tirino (r) aſſerunt: *Id jure divino competere ſuo Pontifici, ut alios, qvi ordinare legitimè qveant, conſtituat*, ipſis ejus rei probatio omninò incumbit. Nos vero à probandi onere vel ideò ſumus immunes, qvòd negativæ noſtræ oppoſita affirmatio, ad jus divinum provocans, nec lumine naturæ nec ex univerſali omnium hominum conſenſu ſit nota. Qvod ſubodoratus Tirinus, haud gravatim partes actoris in ſe ſuſcipiens nonnullas ratiunculas, qvanqvàm irrito conatu, ſucceſſu nullo adduxit. Etenim *Matth. XVI, v. 18.* & *Joh. ult. v. 15.* (ac in ipſo

p) Indic. Controv. IIX. Num. 8. q) Vid. Indic. Libror. Prohibitor.. editum Rom. 1664. fol. 221. 389.
r) l. c. Num. V.

etiam Concilio Tridentino, qvod mireris) ne γϱῦ qvidem de Romano Pontifice habetur: & gratis inſuper ſumitur, Petrum reliqvis Apoſtolis (qvod Paulus diſertè confutavit, dum Petrum acriter correxit *Gal. II, 11.* & nullâ re ſe ſummis Apoſtolis inferiorem eſſe profeſſus fuit 2. *Cor XI, 5, XII, 11.* qvid? qvod ipſimet Papiſtæ ſub *Clementis Romani* nomine producant Epiſtolam, cujus Epigraphe hæc eſt: *Clemens Jacobo Fratri Domini, & Epiſcopo Epiſcoporum, Regenti Hebræorum, Sanctam Eccleſiam Hieroſolymis, ſed & OMNES ECCLESIAS, quæ ubiqve Dei providentiâ fundatæ ſunt, tùm Presbyteris & Diaconibus &c.* Ipſe adeò Bellarminus (*s*) non audet diſertè ad jus divinum provocare, ſed ait: *Licet fortè non ſit de jure divino Romanum Pontificem Petro ſuccedere &c.* & *§. at verò*, fatetur, *ſucceſſionem Papæ non ex primâ Chriſti inſtitutione ortum habere.*) ſuperiorem, ejusqve hæredem Romanum Epiſcopum eſſe, qvod tamen priùs probandum fuerat. *Poteſtatem quoq; ordinandi* (jure divino) *penes ſolos eſſe Epiſcopos*, itidem probatione deſtituitur. Supponitur inſuper, qvod falſiſſimum eſt, *Epiſcopos ex divino jure Presbyteris eſſe ſuperiores.* Contrarium eſt *Act. XX, 28. coll. 17.* ubi Presbyteros & Epiſcopos (qvæ nomina Apoſtolorum tempore omnibus Sacerdotibus communia fuiſſe Bellarm. (*t*) cum Chryſoſtomo aliisq; multis fateri cogitur: nam & c. olim D.XCV. ex Hieron. in c. 1. Tit. dicitur: *Olim idem erat Presbyter qvi & Epiſcopus*) planè eosdem eſſe legimus. Apoſtolus etiam 2. *Cor. XII, 28. Eph. IV, 11.* ex profeſſo

s) Lib. II. de R. P. c. XII. §. obſervandum. *t*) de Cler. c. XV. §. felicior. & I. de Sacr. Ordin. c. VI. §. 3.

feſſo omnes Eccleſiaſticorum ordines recenſiturus *Epiſcopos,* tanqvam ſub Paſtoribus ac Doctoribus contentos, prætermiſit. Prolixus ex Hieronymo *(u)* locus adducitur (*x*) ubi inter cætera: *Audio qvendam in tantam erupiſſe vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id eſt, Epiſcopis anteferret. Nam cùm Apoſtolus perſpicuè doceat eosdem eſſe Presbyteros qvos Epiſcopos* (qvod ex *Phil. I, 1. Act. XX, 28. Tit. I, 5. 1. Tim. IV, 14. 1. Pet. V, 1. 2.* ubi Hieronymus ἐπισκοποῦντας per *Superintendentes* reddit comprobatur) *qvid patitur menſarum & viduarum miniſter* (is enim tùm erat Diaconus) *ut ſuprà eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti Corpus Sangvisq; conficitur?* Hæc Hieron. Itâ ex D. XCV. C. olim, & c. ſeq. ecce ego, evidentiſſimè liqvet, *Epiſcopos magis conſvetudine, qvàm diſpenſationis* (al. diſpoſitionis) *Dominica veritate Presbyteris eſſe majores*, ut & idem Hieron. in primo allegatus ad. Tit. c. 1. loqvitur. Cætera ex omnium ſeculorum antiqvitate teſtimonia habes apud Gerhardum (*y*) Et eandem qvæſtionem tàm accuratè contrà Dionyſium Petavium Monachum Lojolitam (*z*) pertractavit Cl. Salmaſius, ut loqvaciſſimi Jeſuitæ in Angeronæ templum clàm ſe ſubduxerint, & in hunc usqve diem Sigalioni ſacra faciant. Actore non probante reum abſolvi par eſt. Audiamus verò denuò toties protritas Archiſtrategi & *Moloſſi* (ut Bibliopola præf. ad Lectorem vocat) Romanæ Eccleſiæ Bellarmini (cujus lectioni ridiculus Bibliopola hoc proſcenium præmittere, lectorumqve ſic apud ſe

ſtatuere

u) Ad Evagr. Epiſt. 85. *x*) c. legimus D. XCIII.
y) Confeſſ. Cathol. lib. 2. part. 2, art. 6. *z*) In Apparatu ad opus de Primatu, & ſub Walonis Meſſalini nomine de Epiſcopis & Presbyteris.

ſtatuere jubet: *Ut nullum adversùs hæreſes præſentius antidotum Cardinalis hujus ſcriptis invenire potes, ſic apinas tricasq; eſſe, qvicqvid contrà hæc dici vel ſcribi poſſunt*) ratiunculas: qvàm nihil illæ ſolidi habeant in receſſu. *Solus* (inqvit I.) *Epiſcopus poteſt ordinare, non verò Presbyteri juxtâ Damaſum, Hieronymum, Concilium Ancyranum* (*a*) *Reſp.* (α.) Damaſus & Hieronymus nec jus divinum faciunt, nec de jure divino loqvuntur. (β.) Ipſe Bellarminus (*b*) *Deinde qvantum &c. ait: videri Hieronymum agnoſcere jure divino non eſſe diſcrimen inter jurisdictionem Epiſcopi & Presbyteri.* Par ratio eſt ordinis. Et ſanè Hieronymum totum eſſe noſtrum ex paulò antè loco conſtare poteſt. Conferantur etiam hæc ejus verba: *Idem eſt Presbyter, qvi Epiſcopus. Et antеqvam Diaboli inſtinctu ſtudia in Religione fierent, & diceretur in Populis, ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum Conſilio Eccleſiæ guvernabantur: Poſtqvàm verò unusqvisq;, qvos baptiſaverat, ſuos eſſe putabat, non Chriſti; in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponatur cæteris, ad qvem omnis Eccleſiæ cura pertineret & ſchiſmatum ſemina tollerentur* (*c*) (γ.) Anagramm. Can. XIII. teſtatur, *Presbyteros* (*Chorepiſcopi* enim ſunt *Epiſcopi Vicani* ſive rureſtres, (*d*) *poſſe ordinare, ſed non in alienâ Parœciâ ſine literis Epiſcopi*, Objicit (II.) *Epiſcopos eſſe inſtar Pontificum: Presbyteros autem cæteros eosdem cum Sacerdotibus minoribus in V. T. Reſp.* (α.) Pontifex V. T. Chriſti, non Epiſcoporum typus fuit, illiqve non Epiſcopum, ſed

a) L. de Clericis c. XIV. *b*) c. ſeq. XV, 5. *c*) In. Ep. ad Tit. c. II. *d*) juxtâ Concil. Neo-Cæſar. Can. XIII.

ſed ſolum Papam ſuccedere ipſimet Papiſtæ docent. Aliàs tot Papas, qvot Epiſcopos haberent. (β.) Juriſdictio non in ſolo Pontifice V. T. ſed, in toto Synedrio reſidebat. *Devt. XVII, 9.* (γ.) De Hieronymo (qvem allegat) hactenus actum. Obj. (III.) *Jure divino differunt Apoſtoli & LXX Diſcipuli. Apoſtolis autem Epiſcopi, Diſcipulis Presbyteri ſuccedunt. Reſp.* Apoſtolorum & LXX. Diſcipulorum vocatio extraordinaria, officium peculiare, & gradus temporarius fuit: qvare hôc reſpectu ſucceſſio non habet locum. Ratione prædicationis verò & adminiſtrationis Sacramentorum omnes Presbyteri ſuccedunt æqvaliter. Epiphanius (*e*) Ambroſius (*f*) Auguſtinus (*g*)docent, τὰς *LXX à Chriſto planè defeciſſe, nunqvam ad eundem reverſos.* Hieron. Ep. ad Damaſ. *in Epiſcopis Deum, in Apoſtolis Presbyteros præſentari cenſet.* Et ipſe Bellarminus (*h*) ſcribit: *Aliqvando dicunt Patres, Epiſcopum habere locum Dei, Presbyterum Chriſti, Diaconum Apoſtolorum.* Obj. (IV.) Matth. XXIV, 45. *Per fidelem ſervum, qvem Dominus ſuper familiam conſtituit, Hilarius & cæteri Patres (i) intelligunt Epiſcopum. Epiſcopi autem juxtà,* Act. XX, 28. *regunt Eccleſiam, Ergò jure divinò ipſis ſolis rectura competit. Reſp.* (α.) *Servus* juxta ipſummet Barradium (*k*) *omnes fideles* notat. Gregorius (*l*) & Fulgentius (*m*) *de omnibus Miniſtris Eccleſiæ* exponunt. Et patet ex

textu:

e) Hæreſ. LI. *f*) ad Rom. c. IIX. *g*) in Pſal. XCIIX. *h*) Lib. 1. de Cleric. c. XV. ſub fin. *i*) in h. l. *k*) Tom. III. Concord. Evangel. L. X. c. 10. Conf. Tirin. h. l. Chryſoſtom. Hom. 78. in Matth. qvod etiam Theophyl. Euthym. h. l. faciunt. *l*) p. III. Cur. Paſtor. c. 5. *m*) Serm. 1.

textu: Qvos vigilare jubet, conſtituit ſervos. Jubet autem omnes Miniſtros Verbi vigilare. Ergò. Servus hic dicitur *prudens*. At juxtâ Papp. *Vasq. c. III. D. CCXLVI. Epiſcopus poteſt eſſe infans antè uſum rationis.* (β.) Act. l. c. intelligitur rectura paſtoralis, omnibus Paſtoribus communis. Presbyteros enim, qvos (*n*) accerſiviſſe legitur) (*o*) Epiſcopos vocavit. At tales Presbyteros in unâ Eccleſiâ Epheſiorum plures fuiſſe (*p*) conſtat. Non autem plures unius Eccleſiæ Epiſcopi (ſenſu Papiſticô) ſunt. Obj. (V.) 1. Tim. V, v. 15. *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Ergò Epiſcopus jam Apoſtolorum tempore, Presbyterorum judex erat. Reſp.* (α.) Qvæ conſeqventia? Presbyter ſine teſtibus non accuſandus. Ergò Epiſcopus eſt Judex Presbyterorum. Nugæ! (β.) Juxtâ Eſtium (*q*) etiam *Epiſcopi voci Presbyterorum includuntur*. Unde ſic colligendum foret: Nullus Epiſcopus & Presbyter eſt accuſandus absqve teſtibus: Ergò omnis Epiſcopus & Presbyter eſt judex Epiſcoporum & Presbyterorum. (γ.) Timotheus, juxtâ Eſtium (*r*) à Paulô conſtitutus erat judex non ſolùm Presbyterorum, ſed etiam cæterorum Aſiæ Epiſcoporum. Ergò Epiſcopi & Presbyteri vel fuerunt pares, vel Timotheus fuit Papa aliqvis conſtitutus (non à Petrô ſed) à Paulô. Cogitent Papiſtæ, an hoc admittere velint. (δ.) Chryſoſtomus (*s*) Theophylact. Oecumen. *Presbyterum ætate non dignitate*: Ambroſius verò, Hieron. Theodoret. & Anshelmus *Sacerdotem* (*t*) intelligunt. (ε.) Poſitô (non conceſſô) uſu Apoſto-

n) verſ. 17. *o*) verſ. 28. *p*) verſ. 17. *q*) h. l. *r*) l. c.
s) Hom. XV. in 1. Tim. *t*) h. l.

Apoſtolicô: is tamen non protinus (juxtâ ipſosmet Papiſtas) faciet jus divinum. Ipſe enim Cardinalis Bellarminus (*u*) ait: *Cœlibatum Clericorum non eſſe qvidem de jure divino; ſed tamen Apoſtolicum.* En, Apoſtolicum divino opponit, & h. l. præſenti argumento uſurus, non audet dicere, ſe argumentaturum ex jure divinô, ſed tantùm ex antiqvitate, qvòd poſt Apoſtolorum tempora hujus inſtitutionis principium non inveniatur. Ad qvam tamen πρόφασιν reſpondeo (ζ.) ab antiqvitate rei & ignorantiâ Autoris ad jus divinum n. v. c. In antiqviſſimis Patribus ſanè, Juſtinô & Irenæô, hujus diſtinctionis nec vola nec veſtigium extat. Tertullianus primus ejus mentionem facit, ut principium vel ſub finem ſeculi II. vel ſub III. exordium cadat. Sufficit in Scripturis nihil ejus haberi: qvod ad negandum Juris divini prætextum ſatis eſt. Argumenta, qvæ ex antiqvitate deſumta eſſe videntur, cætera, vel ſuppoſititia ſunt, ut Ignatii Epiſt. ad Philadelph. & Canones Apoſtolorum, juxtâ ipſummet Gelaſium: vel nil de Jure divinô teſtantur. In caſſum ergò laborârunt in hôc piſtrinô cum Cardinale ſuô cæteri Papiſtarum hactenus: neqvaqvam ſcilicet demonſtrantes, ſuos Epiſcopos ullâ præ noſtris Eccleſiæ Miniſtris in verbi prædicatione & Sacramentorum adminiſtratione prærogativâ gaudere. Nobis verò in proclivi eſt oſtendere, *Romanum Pontificatum* (qvi fons tamen omnis ordinis creditur, *à Deô neqvaqvam eſſe inſtitutum*: &, cùm inter ipſos Papiſtarum Epiſcopos ſceleratiſſimi inſuper, omniumq; vitiorum lutô conſpurcati reperiantur, noſtros Eccleſiaſtas

u) c. ſqq. XIIX. de Cleric.

x) D.XV. Can. Sancta Romana.

ſiaſtas haud paulò eſſe ſanctiores. Catalogum Paparum, qvi *Athei, Dæmoniaci, Magi, Ariani, Blaſphemi, Idololatræ, Perjuri, Perfidi, Turcæ domeſtici, Tyranni, Carnifices, Proditores, Parricidæ, Scortatores, Adulteri, Inceſtuoſi, Sodomitæ, Meretricum Alumni, Lenones, Sacrilegi, Simoniaci &c.* fuerunt, Hiſtoria ſuppeditat. *Qvæ tunc* (exclamat ipſe Baronius) *facies Eccleſiæ Romanæ? qvàm fœdiſſima: cùm Romæ dominarentur potentiſſimæ atq; ſordidiſſimæ meretrices? qvarum arbitriô mutarentur ſedes, darentur Epiſcopi, & qvod auditu horrendum & infandum eſt, intruderentur in ſedem Petri earum amaſii, Pſeudo-Pontifices, qvi non ſunt, niſi ad conſignanda tantùm tempora in Catalogo Romanorum Pontificum ſcripti. Qvis enim à Scortis hujusmodi intruſos ſine lege, legitimos dicere poteſt Romanos fuiſſe Pontifices? Qvales-nam reris delectos ab hisce monſtris Presbyteros, Diaconos & Cardinales fuiſſe putandum, cùm nihil tàm naturæ inſitum, qvàm unumqvemq; ſibi ſimilem generare?* (y) Sunt mihi ad manus Literæ, qvibus Romanus Clericus, amicum ad defectionem ſollicitaturus, inter alia ſcribit: *Si non poteris caſtè vivere, ſtatti in Venetia, ò in una Parocchia, ò fati prete, etieni una buona ſerva, ò che sò io.* Sapienti ſatis. Circumferant verò, qvi mage qvàm Serpens Epidaurius ſpiciunt, oculos, & videant, an nos talium reos agere qveant criminum Adverſarii. Qvæ in B. Lutherum poſt Piſtorium, Ungersdorffium, Veterum plauſtra convitiorum exonerârunt, ipſa Lutherani textûs inſpectio confutat. Legi hâc in parte (ut reliqvos præter eam) meretur Dn. D. Müllerî *Lutherus defenſus, ejusqve*

y) Tom. X. Anal. 922. §. 3.

qve defenſio, qvæ Creutzio Jeſuitæ ſilentium imperavit. Habeant itaqve ſibi rem ſuam Papicolæ. Nos interim pro conceſſis nobis divinitùs, qvi Verbum purè docent, & ſanctam in officio vitam degunt, Epiſcopis gratias agentes, ex Apoſtoli monitu, *memores ſumus eorum, qvi locuti ſunt ſermonem DEI: quorum fidem imitamur, conſiderantes, qvi fuerit exitus converſationis illorum* (z) Talem verò, etiam inter nos *Virum qvondam Maxime Reverendum, Magnificum, Ampliſſimum & Excellentiſſimum* omniumqve titulorum ambitu majorem, *Dn. SAMUELEM LANGIUM, Doctorem ac Profeſſorem Theologum, Ingenuæ Cathedralis Miſnenſis Eccl. Canonicum, Conſiſtorialem Electoral. & Ducal. Saxon. Eccleſiæ ad D. Thomæ Paſtorem, & Diœceſeos Lipſ. Superintendentem, de Eccleſiâ Chriſti omnibusq; quorum pars fuit, Collegiis meritiſſimum*, *νῦν ἐν ἁγίοις*, inculpatæ Vitæ Epiſcopum extitiſſe, VI. Novembr. finitis ſacris matutinis, ex eâ, qvam Majoris Collegii inferius habet Auditorium, Cathedrâ, ſolenni Oratione, qvod officii genus & Beatiſſimi hujus Viri merita ſibi depoſcunt, & pietas jure ſuô mihi imperat, luculenter demonſtrabo. Qvod ut eò rectiùs exeqvar, Veſtrâ mihi, MAGNIFICE DN. RECTOR, ac UTRIUSQVE REIP. PROCERES, ſplendidiſſimâ & perhonorificâ præſentiâ opus eſſe intelligo. Adeſte igitur, ita mihi, qvâ decet, reverentiâ & humanitate Vos rogare fas eſt, Curis in egregium publicum paulatim ſoluti, ac freqventes, ſi *memoriam beatè defuncti*, qvem certatim amâſſe, omnibusqve horis, oculis, auribus, am-

z) Ebr. XIII, 7.

plexu tenuiſſe, Vos commemini, nondum depoſueritis, aut infacundus Orator mereatur: qvi, cætera, precibus, obſervantiâ, officiis ac inſerviendi promptitudine id ſedulò daturus eſt operam ne Veſtri, Vos favoris & benivolentiæ prodigos fuiſſe, ex meritô contendere qvisqvam poſſit. Lectiſſimorum Literis ac Genere nobiliſſimorum Studioſorum, qvorum ſanè intereſt, ut in tantorum Virorum exempla intueantur, audientiam, gratâ viciſſim promptitudine & alacritate redhoſtire pro virili annitar. B. V. P. P. Dominicâ XXIV. poſt octavam Pentecoſtes cIↃ IↃc LXIIX.

Seqvitur

ORATIO

LIPSIÆ

d. VI. Novemb. cIↃ IↃc LXIIX.

in Majoris Coll. Princip. Auditorio ſolenniter recitata.

SCilicet hoc reſtabat, Magnifice Dn. Rector, Patres utriusqve Reipublicæ conſcripti, omnium Facultatum Decani, Doctores, Licentiati ac Magiſtri, Patroni, Collegæ, Amici, plurimùm mihi ſemper obſervandi colendiqve, Tuqve circumfuſa ſpes Patriæ, Genere Literisqve nobiliſſimorum Juvenum, concio lectiſſima.

Scilicet hoc reſtabat, ut cùm Magnus ille Langius, qvoad vivebat clariſſimos ævi noſtri Oratores, qvibus eundem auſcultare datum eſt, exqviſitiſſimi ſermonis

non tàm rore qvodam perfuſos, qvàm vividæ orationis torrente abreptos in admirationem ſui pertraxiſſet univerſos: nunc ſe ipſum vitâ functum argumentum ſanè qvorumvis certaminum, vel iis qvi eloqventiæ operam dederunt, omnibus maximum, eheu! proponeret. Sic enim omninò exiſtimo, ſi qvis ex artificibus vim ſuam facultatemqve dicendi tentare atq; experiri, eamq; poſteà velut ad libellam exigere vellet, materiam ſibi ex omnibus ſeligens, qvemadmodum pictores eas Tabulas, è qvibus exempla petunt, eum, hac ſolâ, velut oratoriam vim omnẽ excedente, ſubmotâ, cæterarum primam qvamq; eſſe delecturũ. Tam arduum opus eſt hujus viri encomium, non mihi duntaxat, qvi ab eô verborum apparatu me non inſtructum ſentio, verũ & illis ipſis, qvibus vita eſt oratio, qviq; etiam in id unum operam ſuam atq; ſtudium contulerunt ut argumentis ejuſmodi nominis ſui famã celebritatemq; diffundant. Atq; hac de re ſic exiſtimo, & ut mihi perſvaſum eſt, admodùm rectè. Qvanqvã enim iſti ad ipſius dignitatem propius accedentes, omnes dicendi copias explicaverint, qvam longè tamen ab ejus, qvem laudare inſtituent, præſtantiâ abfuerint, cum ſe reverà ſuccubuiſſe deprehendent, tanti videlicet viri meritis, qvamcunq; orationis efficaciam ſuperari haud gravatim fatebuntur. Atq; hæc ſunt, qvæ me, qvò minus hanc in me provinciam ſuſciperem, omninò abſterruiſſe debebant: & hoc præterea, qvod objici mihi omninò poſſe video, magis ad beati gloriam faciet, ſi ea Periclem aliqvem aut Demoſthenem vincat, poſtqvam hâc ratione ejus, qvi laudandꝰ eſt, excellentiã, non verò cum ignominiâ defuncti, infantiã laudatoris accuſare ſoleamus. Verùm enim verò tantùm abeſt, ut, ſi rem ex verò putẽ, hæc ab inſti-

tutô me revocent: ut vel hæc ſola ratio infantiſſimum qvemvis ad hæc roſtra, non ſine beati gloriâ, pertrahere poſſe videatur. Si enim id dicendo intendimus, ut, cujus virtutum præconia meditamur, laudatior in audientiũ animis exiſtat; qvantò magis id Beato honori fuerit, ſi is (tantus enim reverà eſt) ſe ipſe nudum & absq; verborum lenociniis, ne hoc ſcilicet fortaſſis facundiæ Oratorum, qvibus etiam Apollinem vituperare, Scarabæum verò laudare in proclivi eſt, tribuatur, exhibuerit glorioſum? Omnis oratio comata, qvod de Adoleſcente olim Syneſius dixit, Cynæda eſt: nec formoſæ dici merentur virgines, qvæ nitorem ceruſſæ ac pigmentis debent ſuum. Virtuti vitium inferunt, qvi nativum ejus vultum adulterinis verborum ceromatis conſpurcant. Habeat ergò hîc excuſatio noſtra finem. Dum verò ſerius aliqvandò ad munus, qvod amicitia ſuo nobis jure injunxerat, acceſſimus, poſtqvam res noſtræ aliter non tulerunt, abſit, ut ex contemtû vel torpore aliqvô neglecti officii incuſemur. Atq; ita tandem ad Magni noſtri Langii laudationem accedemus, qvem non niſi cum Magnô in Eccleſiâ viro, qvantus videlicet & ipſe fuerat, video eſſe contendendum. Primâ, cujus ego in illuſtri hoc Tilieto ſpectator fui, Panegyri Doctorali, ſummos & ipſum in Theologiâ honores conſecutum â B. viro Dn. D. Heinrici Commendatore, Magno illi Baſilio, qvartâ Chriſtianorum ætate, Cæſareæ in Cappadociâ Epiſcopo, comparatum memini. Non aliud hâc vice, defuncti qvippe meritis & officio meo convenientius ſermonis expectare vos argumentum jubeo, Auditores. Qvòd igitur noſter, at qvondam eheu! noſter, noſter, inqvam Langius, *Vitæ*, puta *Ortu nobilis*, *Curſu Illuſtris*, *Exitu Glorioſus*, i.e. *Baſilius verè Magnus* fuerit, ſi pace veſtrâ,

qvorum

qvorum in auſcultando benivolentiam, favorem & promptitudinem,qvâ decet,obſervantiâ ac humanitate contendens, polliceri mihi audeo,qveat fieri, non qvidem *Gregorius* aliqvis; *Nazianzeni* tamen plerumqve *Vocibus* ſum demonſtraturus.

Qvi natalium ſplendore capiuntur, proprii nihil, qvod apertè prædicent,poſſidentes, ad obſcura, dæmones nonnunqvam qvosdam (qvod Nazianzenus in Græcos dixit)ac majoribus ſuis affictas fabulas,ut qvod in ipſis maximè ſpecioſum ac illuſtre eſſe debebat, fide prorſus deſtituatur, qvod verò credendum, plerumqve probrum ſit ac contumelia,ſeſe recipere videmus. Poterat Gregorius Baſilium ſuum multis nec vanis narrationibus, qvas Pontus ex maternô latere ſuppeditabat, paternoq; materni generis ſplendorem opponens, per militaria Majorum Imperia, Populorũ gubernationes, in Imperatorum aulis potentiam & autoritates, opes præthereà, excelſos thronos & honores publicos eundo, celebrare, ſi eum qvidem genere generisqve ſpendore gloriari perſpexiſſet.Sed qvoniam de eô viro oratio ſibi erat inſtituta, qvem viritim nobilitatem expendi noluiſſe cognoviſſet, ſatis erat,pietatem, utriusq; qvippe generis hæreditarium decus, qvod tota ejus oratio agit, adduxiſſe. Nec minus LIPSIENSIUM qvondam BASILIUS, MAGNUS ille LANGIUS, Chriſtianis ſe pientiſſimisq; Parentibus ortum debere, fumoſis imaginibus antetulit in hoc inſuper Baſiliũ referens,qvòd, ut ille Nyſſenum hic Lipſiæ tandem Epiſcopum ac Superintendentem,& Catharinam Feileriam, (cujus parenti Pegavienſium Superintendenti ac Polyhiſtori,Theologi Saxoniæ univerſi continuationem Hiſtor.A.C.concrediderunt,)religioſam velut EMMELIAM, & qvæ inter mulieres, qvod

ille inter viros erat, in oppido Meuſelwiz qvartô ab urbe lapide, anno Chriſtianorum 1618. qvo B. Lutherus obiit, non fucatæ ſcilicet aut Syncretiſticæ Concordiæ Præco futurus, Concordiæ die editus, Parentes habuiſſet. Qvod de Baſilii ſui Nazianzenus, id ego de mei Parentibus: qvi, inqvã, ſimul & multos & probos & honeſtos liberos habuerint, in fabulis fortaſſe reperias: hos autem res ipſa nobis exhibuit, ut qvi tales qvidẽ ipſi fuerint, ac etiamſi talium Parentes haudqvaqvã extitiſſent, ſibi ipſis tamen ad nominis claritatem potuiſſent ſufficere: rurſus autem ejuſmodi filios in lucem extulerint, ut, qvanqvam iſti tantâ virtute non fuiſſent, omnes tamen felicitate ſobolis ſuperaturi eſſent. Cujus qvondã fundamentũ cùm ſit ipſa pietas, eandem optimi Parentes hæreditario qvaſi jure in Langiũ præprimis noſtrum non ſolùm transtulerunt, ſed etiam alteri qvaſi Baſilio Catecheſin & religionis Chriſtianæ elementa cum materno lacte (ceu Baſilius Senior cum Emmeliâ ſua fecerat) inſtillarunt. Et primæ qvidem felicis ingenii impreſſiones auroræ inſtar, qvàm illuſtris olim Sol per omnia virtutum ſigna, ad ſupremũ, qvanta in Eccleſiis & Academiis eſſe poteſt, Gloriæ veluti Zenith, diſſipatis connatæ ignorantiæ tenebris & attenuato primæ pueritiæ diluculô, incitato curſu rectâ eſſet aſcenſurus, maturè præſignificarunt. Corporis decorẽ, plenitudinem & magnitudinis laudem, qvibus plerosq; delectari video, volentibus relinqvemus. Non qvòd in his & qvoqvam eorum, qvi eas res in pretio habent, & circa corpꝰ volutantur, infelicior eſſet, cùm adhuc ætate floreret; ſed ne idem nobis, qvod imperitioribus athletis usû veniat, qvi profuſis in vanâ minimeq; neceſſariâ colluctatione, viribus, in ſeriis poſteà, qvibꝰ victoria paranda eſt,

certa-

certaminibꝰ,inferiores reperiuntur. Qvare ea tantummodo,qvæ nec ab orationis ſcopô aliena eſſe videbuntur, laudanda hîc ſuſcipiemus, ad ea nos convertentes, qvæ omnium ſanæ rationis judiciis inter humana bona principem locū occupare ſolent. Sanæ mentis,inqvam. Non enim idcircò,qvam intelligi animadvertitis,eruditionem contemnendam optimus putavit Pater, eruditꝰ ipſe,qvòd ita videatur illis,qvi eum omnes ſui perqvam ſimiles cupiant,id ſolum agunt, ut privata eorum inſcitia ſub communi deliteat,nec qvisqvã ipſorum imperitiam prodat & coarguat. Primâ igitur ætate ſtatim ſuô Magni Patris inſpectione,domi qvidem Dn.M.Samueli Herfordo & Dn.M.Petermanno,jam Scholæ Pirnenſis Rectori; foris autem Dn.M.Joh. Friderico,Scholæ Nicolaitanæ Moderatori & utriusq; lingvæ Profeſſori Publico,formandus datus,egregius adoleſcens(ut de Baſilio Nazianzenus ait) eruditus, poſt DEI cultum & elegantem vitã excolitur, ac per primas ac pueriles diſciplinas ad futuram ducitur perfectionem. Nam qvi vel ſolos mores vel ſolam doctrinam conſecuti ſunt,ab altero autem deſeruntur, ii mihi nihil à luſcis differre videntur, qvibus cum magnum detrimentũ ſit, tùm verò major turpitudo,ſive alios cernant ſive ab aliis cernantur. At qvibus utraq; laude ac velut ambidextris eſſe datum eſt,hi nimirum omnibus numeris ſunt abſoluti,ac cum alterıꝰ vitæ beatitudine vitam laudabiliter tranſigere poſſunt. Qvod qvidem B.Langio contigit, domeſticũ videlicet in utroq; Parente habenti virtutis exemplar,in qvod oculorum aciem intendens ſtatim optimꝰ erat. Et qvemadmodum eqvorum pullos ac vitulos,ſimul ac in lucem prodierint,matribus aſſultare videmꝰ: ſic ille Patrem cum eqvinô & generoſô impetu è pro-

pinqvô aſſectatus, à ſummis virtutis illius agitationibus haud longô intervallô diſtabat: aut, ſi mavis, in ipſâ qvoqve virtutis adumbratione futuræ virtutis & eruditionis pulchritudinem, ad Hodegorum vota, ſubindicans, accuratoris olim vitæ notas, ante accuratioris vitæ tempus, dum trivialibus ſcilicet adhuc literis vacaret, haud obſcurè præferebat. Qvare cum ſatis uberem in iſta ſchola doctrinam collegiſſet, nec rei cujusqvam neceſſariæ ac honeſtæ ignarum & expertē eſſe oporteret, nec ab apicula, qvæ ex qvibuslibet floribus utiliſſima qvæq; decerpit, labore ac induſtria ſuperari, ut Baſilius Cæſaream, ſic ille Lipſiam, cui ann. 34. fidem obſtrinxerat, præ cæteris elegit. Hanc, inqvam, illuſtrem civitatem Literarum ac totius Provinciæ Aſylum: qvam ſi qvis (iterum Nazianzeni de Cæſarea voces ſunt) doctrinæ (qvod imperiti nolunt intelligere) palmâ ſpoliaverit, rem omnium pulcherrimam ipſiq; maximè propriam eripuerit. Utinam verò jam, qvæ ſeqvuntur, ii exponerent, qvi Langium noſtrum in Academiâ apud ſe erudierunt, & fructum qvoq; ex ejus eruditione ceperunt: qvantus videlicet ipſis Magiſtris, qvantus æqvalibus eſſet, illos tantum non æqvans, hos omni doctrinæ genere antevertens: qvantus apud omnes tùm plebejos, tùm primarios Civitatis gloriam brevi tempore fuerit aſſecutus: majorem videlicet, qvam ætas illa ferre ſolet, ſub Recklebiis, Raſpiis, Preibiſiis, Schmidiis, Bulæis, Mülleris, eruditionem: majorem rurſus eruditione decorem, conſtantiam & gravitatem oſtendens. Sub Corvino Oratoriam non neglexit, cujus qvanta ad affectus movendos, ſed & ipſos animi ſenſus exprimendos vis ac facultas, in verbi præprimis Præcone, reqviratur, ipſe non erat ignarus. Mens enim, qvæ id, qvod ſentit, neqvit exprimere, hominum,

num, qvi pedibus laborant, inceſſui haud qvaqvam abſimilis mihi eſſe videtur. His inſtructus armis copias latius explicaturus ſuas cum Baſiliô noſtri orbis Byzantium, Wittebergam, qvæ Conſtantinopoleos ad inſtar excellentiſſimis Græcis, Philoſophis ac Oratoribus florens, Buchneros, Schmidios, Welleros, Sperlingios & Caſelios, qvorum brevi optima qvæqve ingenii magnitudine & celeritate (qvod vel XX. Caſeliana, qvæ intra ſesqvi annum freqventavit, collegia, teſtari poſſunt) collegit. Haud ineptè Byzantium contendimus cum Wittebergâ, qvòd & ſuos illa haberet Chryſoſtomos, & literariam neceſſitatem religionis cauſa, cum Patriarcha Conſtantinopolitano, qvod eruditi nôrunt, coluiſſet: & eodem ſtudiorum ordine, qvô in Baſiliô Byzantium, ſi Langium ſpectemus noſtrum, ſuccedat. Parabat jam Baſilius Atticam, Noſter Juliam Academiam, celeberrimos, ut iterum cum Nazianzenô loqvar, ibidem Sophiſtas auditurus, ſalutare. Et Baſilius qvidem Athenas cum Byzantio ſtatim, Langius non niſi jactis in ſolidiori Theologia ab an. 37. ſub celeberrimorum, qvos Lipſia habebat, Theologorum, B. ſui Parentis, D. Auerbachii, Weberi, & qvi primò omnium mihi nominandus erat, conſummatiſſimi illius Höpffneri, manuductione, fundamentis, Helmæſtadium an. 39. commutavit. Id qvod omninò opus fuit. Peſtiferæ qvidem aliis (inqvit de Attica Academia Nazianzenus) Athenæ ſunt (nec enim id à piis viris temerè exiſtimatur: malis enim opibus, hoc eſt, idolis ſupra omnem reliqvam Græciam affluunt: difficileqve factu eſt, non ſimul cum eorum laudatoribus & Patronis in errorem abripi) nobis autem nihil detrimenti

ab iis allatum eſt, utpote animo communitis & obſeptis. Qvin potius, qvod vix credibile eſt, hinc ad fidem confirmati ſumus, ipſorum fraudem & impoſturam agnoſcentes, atqve illic dæmones contemnentes, ubi dæmones admiratione afficiuntur. Qvid in Juliam Academiam ex vero dici poſſit, & pro conſcientia debeat, nemini ignotum eſſe poteſt. Difficile etenim factû eſt, non ſimul cum novorum dogmatum laudatoribus & Patronis, abripi in errorem. Qvare pientiſſimus parens, ſagaciſſimi Höpffneri, conſilio, Langium noſtrum, cùm illa ſub Cretico & dolosô cinere latitans in flammam erumpere ſcintilla vellet, 1641. futuro incendio maturè ſubduxerunt. Paruit revocantibus morigerus filius ac diſcipulus: domumqve rediens, Höpffnero potiſſimum, qvi qvicqvid in doctrina æruginis contrahere potuiſſe videretur, freqventi informatione & familiaritate (nunqvam enim à latere ſuô Langium dimiſerat, ut etiam ejusdem manibus Epiſtolam, qva Calixtum & Hornejum ab erroribus fraternè fûit dehortatus, exarari vellet,) abſterſit & expolivit. Verba literarum ſunt iſta: Atqve hæc pro temporis ratione & ſtatû meæ valetudinis breviter & qvidem manu M. Langii exarare volui: non qvòd putem ea vos latere, ſed ut fraternè commoneam ad omnem diligentiam; nihil eſſe vobis relinqvendum in Apologia veſtra, qvàm ut cum Scriptura & Matre Eccleſia loqvamini. Et hic fuit ille Solis per literas & ſtudia valdè illuſtris curſus. Qvod enim diſciplinæ genus eſt, in qvô ille non fuerit verſatus, ad ingenii acrimoniam ſtudium addens, ex qvibus imperium artibus ſcientiisqve comparatur? Qvi cum celeritate naturæ propter laborem & contentionem

mini-

minimè opus haberet, qvemadmodum ne labore qvidem propter ingenii magnitudinem: ſic tamen utrumqve conjunxerat, ut non ſatis liqveret, utro nomine admirabilior eſſet. Poſſemus qvæ de *Efficiente causâ, ſigno & ſignatô, Hominis irregeniti converſione, Hæreſi Arrianâ, Chriſti ſeptem verbis, Fidei articulis, Abrahæ fide, Hæreticis* aliisqve legit ac cum laude diſputavit, prolixius commendare, ſi ad harum rerum ignaros mihi verba eſſent facienda. Qvare potiùs, qvæ præmia laborantibus tribuere virtus ſolet, Honorum Academicorum, ab imo ad ſummum, Titulos conſideremus. Eo, qvod Baſilium habebat, tempore, gradus, qvos vocant, Scholaſtici, nondum, qvod nemo diffitetur, fuerunt inter Literatos in uſu: inde tamen Titulis noſtris haud parari calumniam, contra Fanaticos dudum fuit demonſtratum. Nos Qvare ad Langium è veſtigiô revertemur. Is igitur majorum more, &, qvod hîc non deducimus, laudabiliter introductâ conſvetudine utrumqve Philoſophorum decus An. 34. & 37. haud difficulter impetravit. Theologorum verò Senatus venerabilis dignum omninò habuit, cui an. 43. ætatis 25. primam in ſacro ſtudiô Lauream, ac Licentiam induendi Epomida Doctoralem, qvod ann. 51. factum eſt, conferret. Qvi Titulos ambiunt, ut in alios ſolùm ſuperbientes nihil in Rempublicam conferant, Tulipis illi mihi non abſimiles eſſe videntur: qvæ, niſi qvòd, præſtantioribus florum extruſis, nobiliores areolas occupent, & oculis utcunq; gratificentur, nihil odoris in commune ſpargunt. Talis verò Tulipa aut Titularis Doctor Langius noſter, qvod tot in Academiâ & Eccleſiâ tàm laudabiliter adminiſtrata munia, qvibus humeros

ſuos

ſuos ſuccollare non dubitavit, teſtari poſſunt; haudqvaqvam fuit. Principiò Pegavienſis Epiſcopatus 1643. ipſi offertur, qvem cùm ſedecim annis, DEO, conſcientiæ & auditoribus ſatisfaciens, geſſiſſet, Lipſiam vocatus Archi-Diaconus ad D. Thomæ 1659. Paſtor in ÆdeNicolaitanâ 1661. Superintendens verò 1665. factus eſt. Academica, qvibus functum meminiſtis, officia, Profeſſio qvidem Theologica 1661. Rectoratus verò 1663. Decanatus 1665. in ipſum collata fuêre. In Conſiſtorium Electorale & Ducale 1665. in Capitulũ Ingenui Præſulatûs Miſnenſis anno ſeqvente ex meritô ſuô & collegiorum dignitate cooptabatur. Nam & Baſilium, poſtqvàm Athenis exceſſiſſet ad Eccleſiaſticas dignitates, cùm Lector & Epiſcopus deſignaretur, promotum accepimus. Is, qvod oratoriam publicè docuiſſet, noſtro præferri poterat: niſi & B. Langius omnes ejus muneris partes in ſuggeſtu explevisſet, de cujus exqviſitâ facundiâ jamjam erit dicendi locus. Sed eſt prætereà, qvod objici poſſe videtur. Baſilii Encomiaſtes Nazianzenus, qvi Epiſcopum ſuum vel eô nomine laudat, qvod ordine, non ſubito, pervenerit ad Epiſcopatum: hunc, inqvit, multiplex DEI benignitas, in multis ante muneribus exploratum ac qvotidiè clariorem illuſtrioremqve compertum in ſacrum Presbyterorum ordinem adſcribit, ac ſplendidam celebremqve Eccleſiæ facem proponit, atqve per unam Cæſarienſem Civitatem univerſo terrarum orbi prælucet. Qvonam autem id modô? Sic nempe, ut eum non ſubitò ad hunc gradum ſubveheret, nec ſimul eum & ablueret, & ſapientiâ inſtrueret, qvemadmodum pleroſqve eorum, qvi nunc Antiſtitum munus appetunt: verùm

ordine

ordine ac ſpiritualis progreſſionis lege, hoc eum honore afficeret. Nec enim mihi perturbatio illa temeritasqve probatur, qvæ apud nos nonnunqvam & in nonnullis Eccleſiæ Præſidibus exiſtit. Verùm nauticam legem laudo, qvæ gubernatori futuro primùm remos tradit, deinde ad proram eum collocat, adeoq́; prioribus muneribus ipſi commiſſis, tandem eum poſt diuturnam remigationem ac ventorum jactationes ad gubernacula conſtituit. Eadem militaris eſt ratio: miles primùm, deinde Centurio, tùm Imperator! Hæc Nazianzenus, qvi nobis ipſe, qvid reſpondere debeamus ſubminiſtraturus: non, inqvit, eò audaciæ progredior, ut omnes accuſem, iniqvè enim facerem. Loqvitur nimirùm de iis, qvi non virtute magis, qvàm maleficio ac ſcelere, ut non digniorum ſed potentiorum ſint throni, Sacerdotium parârunt: eos perſtringit, qvi ad gubernacula hæc parum virtutis ac eruditionis afferunt: qvalium aliqvis B. Langius noſter, ſi ſuperiora vobis in memoriam revocare velitis, Auditores, neqvaqvam fuit: qvod tanta in omnibus, qvas adminiſtravit, provinciis experientia, fides & dexteritas, vel me tacente, demonſtrat. Sed nunc Sol ille virtutum, cui Nazianzenus etiam Baſilium comparavit, qvæ Hominem Chriſtianum, Maritum, Parentem, Theologum decent, oculos mihi perſtringit, ut ad ipſarum fulgorem, qvà mihi ſit porrò eundum, non inveniam: & vox me inſuper deſtitueret, niſi D. noſtri modeſtia mihi hac in parte ſubveniret. His enim omninò verbis (qvæ mutare mihi religio eſt) ultimam voluntatem fuit teſtatus: Die Perſonalia zu meinem Lebens-Lauff ſollen gantz ſchlecht und ohn alles Gepränge und eitelen Ruhm verfertiget/

ſertiget/ und über zwey oder drey Qvartblätter lang nicht gemachet werden. Denn mein gröſter und beſter Ruhm iſt das Creutze JEſu Chriſti/ durch welchen mir die Welt/und ich der Welt gecreutziget worden. Solte ich ein und das andere gute Werck gethan haben/ deſſen ich mich doch nicht rühmen/ noch weniger überheben wil/ ſo beſcheide ich es/ ſo ferne es eitele Ruhmräthigkeit bey ſich hat/ dem Teufel/ der in ſolchen Federn zu einer ſelbſt-eigenen Gerechtigkeit zu prangen ſuchet. Ignoſces verò mihi, ô beatiſſima anima, ſi non tàm humilitatis tuæ, qvàm ſuperſtitum, qvos reliqviſti, qvorum in tanta exempla intueri vel maximè intereſt, rationem habeam: & propitia ſit mihi tua modeſtia, ſi, qvod ſcio, non valeam eqvidem ſilentio penitus involvere. Ita tamen ſermonem moderabor meum, ut nec ſingula, nec eorum, qvæ in laude ſunt, omninò nihil, nec, qvâ decebat, verborum diligentiâ exeqvar, ſed ſumma tantùm rerum faſtigia obiter qvaſi, & proletariô ſermone perſtringam. Qvantâ igitur in DEUM fide, in Proximum charitate, qvàm bonus, ut verbô dicam, Chriſtianus, pro humanæ fragilitatis modulô, fuerit, nemo veſtrum eſt, Auditores, qvi id perſpectum non habeat, exploratumqve. O candidum omnisqve, qvô hodiè omnis propemodùm ſinceritas adulterari ſolet, fuci purum intemeratumq; pectus! Nihil in verbis adulterini, nihil fictarum ceremoniarum in geſtû, nihil non nativi, candidi, ſvavis, jucundi, honeſti in qvotidianâ converſatione. Cor ipſum ex oculis, ore, lingvâ, verbis, calamô totius corporis externô habitu, ut ne Momus qvidem feneſtram calumniari poſſet, transparebat. Geſtus ſermonis, ſer-

ſermo neminem circumveniens, fideliſſimus infucatæ mentis character erat. Baſilius ægrotos & pauperes non inanem captans gloriam (qvis enim ab hoc affectu remotior, inqvit Nazianzenus?) oſculari: Eleemoſinas & ſtipendia procurare & humanæ infirmitati pauper ipſe opem ferrę. At Langius noſter (teſtor DEUM & conſcientiam) certam magnamqve omnium ſuorum redituum partem pauperibus, ſtudioſis, Exulibus (qvod vivente ipſo, prohibuerat enim, propalare mihi non licebat,) qvotannis diſtribuit: & hôc non ſolùm, ſed & humanitate Baſilium ipſum, ut mihi videtur, ſuperavit. Huic enim faſtum & Phariſaicum ſupercilium objectum eſſe à malevolis Nazianzenus non diſſimulat: cùm, qvantum meminiſſe datum eſt, noſter ne ſpeciem qvidem ejus præbuerit. Excuſat ex meritô Baſilium ſuum Gregorius, nonnunqvam, uti videbatur, moroſiorem: qvòd ſi, inqviens, non lepidus qviſpiam & facetus erat, nec circumforaneus, nec ex eô, qvòd omnibus omnia fieret, plerisqve gratus & acceptus, qvid tum? Nonne laudem potius, qvàm reprehenſionem hoc nomine meretur, ſaltim apud mente præditos? Niſi qvis Leonem etiam accuſandum putet, qvòd non Simiæ vultum, ſed torvum qvendam & horrificum ac regium præferat: cujus ipſæ qvoqve ſaltationes fortes & generoſæ ſunt & cum admiratione jucundæ: atqve etiam hiſtriones, ut ſvaves & humanitatis plenos admiretur, qvoniam populi voluptatibus inſerviunt, colaphosqve ſibi invicem impingendo, ſtrepitumqve ciendo, riſum ei movere ſolent. Bonos tamen Baſilius humanitate facilè in ſui admirationem pertraxit, qvi ne ſcilicet diſſimiles eſſent, ipſius etiam, (qvod ſanè ſuperbi & arrogantes non poſ-

poſſunt) corporis vitia, cujus generis ſunt, pallor, barba (non enim inſanorum Romanenſium aliqvis Monachus erat, qvi vertice & mentô ſemper eſt raſis, ne ullum boni viri pilum habere dicatur) certus incedendi modus, tùm etiam non admodum cupidè promptèqve loqvi, ſed utplurimùm cogitabundum atqve intrò ad ſe converſum eſſe, ut multi ſpecietenus Baſilii viderentur, imitari voluerunt. Qvis verò unqvam de aſpersâ Langianæ humanitati aut arrogantiæ aut levitatis maculâ inter nos conqveſtus fuit? Noſtis enim, qvàm comem, blandum, lenem ac moderatum ergà eos etiam ſeſe exhibuerit, qvi, qvod fieri in hac vitâ amat, eum qvacunqve ratione offendiſſent. Poterat nonnunqvam illatas ſibi contumelias publicè vindicare, niſi imitari maluiſſet Baſilium, qvi ut Eraſmus loqvitur, ſic invehebatur in mores hominum, ut objurgantem etiam amare poſſes, (id nimirum dans operam, ut os orationi ſine dentibus ineſſet,) nihil in ſcriptis usqvam obſtrepit humani affectus, nusqvam ſuam agit cauſam, atqve intra Catholici dogmatis cauſam ſe continens, nusqvam, qvæ ad cauſam nihil faciunt, ad convitia evagatur. Hæc planè in Langium noſtrum competunt, cum cujus humanitate conterminam ei patientiam in adverſis nunc conjungemus. Impatiens nimirum animi eſt, qvi offenſas ſine humanitatis notâ tolerare neqvit, & nihil mentis infirmitatem magis arguit, qvàm illud magnanimitatis genus. Qvas adverſitates Baſilius ab Hæreticis, fidei conſangvineis, imò & amicis pertulerit, ut parum aliqvandò adfuerit, qvin de omnium hominum fide & ſinceritate dubitaret, ex vitæ ejus Hiſtoriâ conſtat. Orta inter ſe & Euſebium (cujus cauſam Gregorius reticere maluit)

luit) ſimultas Ariani Imperatoris, qvi poſt exqviſita ſupplicia exilium decrevit, perſecutio, Juliani Apoſtatæ inſultus, Præſidis Ponto & Cappadociæ minæ, ſe corpus Baſilii ungulis laceraturum, ſancti hujus animum frangere poterant: niſi & atrociora à fidei domeſticis, qvi fidei Catholicæ deſertorem, Apollinaris fautorem, Hæreticum, trium DEorum aſſertorem, calumniabantur, imperturbatô animô, ubi conſcientia interpellabat, ſuſtinuiſſet. Pueris iſta terriculamenta (tormentorum) non viris proponenda eſſe; ſibi verò vitam eripi poſſe, veritatis Confeſſionem non poſſe, Modeſto Valentis Præfecto: Ego totus horreo & tremo, cùm recordor, purpuram tibi circundatam & coronam caput illud ignominioſum cinxiſſe, qvæ ſine pietate non laudabile, ſed illaudatum conſtituant imperium: nemo te unqvam ridiculus magis viſus, qvando accedentem te & in hoc faſtigium provectum neqvam & infeſti dæmones huc te pertraxerunt, cum hoſtili exercitû adventanti Juliano Apoſtatæ animosè reſpondit. Calumnias verò cæterorum priusqvam juſtis Apologiis dilueret, ne qvid præcipitanter ſcilicet ageretur, triennale propemodum ſibimet ſilentium, qvòd mentem compoſitam & pectus adverſorum patientiſſimum arguit, indixit. Non ſub Ariano Valente, ſed orthodoxæ fidei defenſore Conſtantinô unà nobiſcum B. Langius per DEI gratiam vixit, Electoralis gratiæ nunqvam non Oceano perfuſus. Si bella tamen, ſi rapinas, ſi incendia, qvibus Pegaviæ eundem exercitatum novimus, æqvâ lance perpendas, haud paulò minora, ſi non paria, cum Baſiliô, non minoris certè conſtantiæ laude perpeſſum dixeris. Vidiſſes enim ejus patientiam, qvi incendium, qvi con-

 flagra-

flagratas ædes, qvi ſuppellectilem univerſam, qvi inſtructiſſimam Bibliothecam, tot annorum Manuſcripta, refertiſſima Collectanea, paratos in omnem uſum Locos in fumum abire, pecora abigi, κειμήλια ſurripi, ſiccis oculis aſpectaret, propriæqve invaletudinis moleſtias, prout à Jobô ſuo, qvem publicè, ô qvàm ſucculentus Præco! expoſuit, didicerat, obfirmatô & infractô animô perferret. Gloriantur Lojolitæ Baſilii cœlibis Monachi caſtimoniâ, & qvaslibet ſpurcitias clericorum, noſtrorum conjugiis anteferre non erubeſcunt. Verum enimverò nos Lojolitarum, qvam non habent, caſtitate gloriari non poſſumus. Langius autem noſter non propterea caſtus non fuit, qvia Conjugem ex animi ſententiâ in lectiſſimâ tùm Virgine, Catharinâ Margaretâ Göziâ, qvæ ipſum octo liberorum, (Chriſtiani Matthiæ, Catharinæ Margarethæ, Catharinæ Sophiæ, Chriſtiani Ephraimi, Chriſtiani Samuelis, Chriſtiani Johannis, Chriſtiani Gothofredi, Chriſtiani Chriſtophori, qvorum duo primi omnium ultimò beatè defuncti ſunt: cæteris divina benignitas undiq; benedicat) Patrem fecit, Maritus extitit. Ipſe Baſilius Nyſſæ in Ponto Epiſcopum Parentem habuit, & cum virginitatem ſupra naturam eſſe doceret, an à tantis externæ virginitatis cultoribus puritas ſaltim mentis illibata omninò ſervari qveat, haud temerè dubitavit, ac de ſe ipſo ad Chilonem diſcipulum in hanc ſententiam perſcripſit: qvin & mulieres ſe meis hiſce oculis viſendas offerebant, qvarum præcellenti elegantiâ & decore ſpectabili meæ tentaretur integritas pudicitiæ. Et qvidem flagitium vitavi fornicationis, at mundiciæ virginalis florem arcanâ cordis cogitatione fœdavi. Is ipſe etiam Monachus, qvem tantoperè laudaverat,

verat, teſte eodem Baſiliô, adulter factus eſt. His verò morbis idem ſpiritus aliud remedium ordinavit, qvi melius eſſe nubere, qvàm uri, & Epiſcopum unius uxoris virum eſſe poſſe, Paulo in calamum dictavit. At Monachus non fuit, qvalis Baſilius erat, Langius. Eſto. Baſilius tamen trium votorum, qvibus vitam æternam merearis, qvales modernos in Papatû eſſe videmus, Monachus non fuit: & qvi ſummam inter ipſos τάξιν obſervant (qvod Monachus S. Baſilii Græcus, Jeremias, Conſtantinopolitanus Patriâ, etiam heri demum coràm mihi, tanqvam in vulgus notum, retulit, qvicqvid Papiſtæ Græcis affingant) in matrimonio vitam degunt, nihilq; cum raſis in Romanô Papatû commune habent. Latiſſimus ſe mihi nunc effunderet campus, ſi qvæ præprimis Theologum in utraq; cathedrâ doctorem, & Epiſcopum decent virtutes, ad unam omnes ex dignitate commemorare vellem. Primò qvidem Epiſcopum διδακτικὸν, idqve propter eruditum dicendiq; peritum eſſe, oportet. De Eruditione paulò antè verba me feciſſe meminiſtis: alterum facundia cum perſpicuitate abſolvit. Contumeliam Eraſmus judicat, Baſilii facundiam cum qvoqvam eorum comparare, qvorum eloqventiam ſupra modum Græcia fuit admirata. Qvis enim, inqvit, optimus in hac arte cenſor inter illos ſic omnibus dicendi virtutibus excelluit, ut in eô non aliqvid vel deſideretur, vel offendat? Tonat ac fulgurat Pericles, ſed ſine arte. Attica ſubtilitate propemodùm friget Lyſias. Phalereo ſvavitatem tribuunt, adimunt gravitatem. Iſocrates umbratilis Orator affectatis ſtructuræ numeris ac periodis orationis perdidit illam nativæ dictionis gratiam. Demoſtheni, qvem velut omnibus numeris abſolutum

eloqventiæ exemplum producit Tullius, objectum eſt, qvòd orationes illius olerent lucernam: nec deſunt, qvi in eô affectus & urbanitatem reqvirunt. Sed ut maximè aliqvis extiterit, in qvô neq; naturam, neq; artem, neq; exercitationem deſideres, qvem mihi dabis, qvi Divi Baſilii pectus numine plenum non dicam æqvârit, ſed vel mediocri conſeqvatur intervallo? Et ſi contumeliæ genus eſt, divinum hunc virum cum profanis contendere, reperias etiam, qvod in Græcis Patribus doctiores cupiant emendatum: & in Baſiliô neſcio qvid moroſulus etiam Lector poſſit deſiderare. E ſanctiſſimô pectore cunctisq; humanis affectibus defecata, ſimplex ac naturalis oratio manat. Scripturarum teſtimonia tàm concinnè perpetuæ admiſcet orationi, ut gemmas purpuræ non aſſutas, ſed ibi natas dicas: ſicq; univerſum ſermonem ad animos auresq; multitudinis attemperat, ut & imperitis ſit perſpicuus & eruditis admirandus. Mutatô nomine hæc de noſtrô Baſiliô B. Langio, facundo pariter (qvâ virtute ſane ipſum Baſilium qvodammodo ſuperavit) ac diſertiſſimo Oratore dici univerſa poſſunt. Nullus qvidem, cenſente Auguſtino, hominum ita locutus eſt, ut in omnibus ab omnibus intelligeretur, & non opis humanæ, ſed divinæ benignitatis eſt, ſi etiam ea, qvæ alius perſpicuè docuit, eâdem tu facilitate proferre qveas. Unde Tullius: Iſti, inqvit, qvi ad nos cauſas deferunt, ita nos plerumq; ipſi docent, ut non deſideres, planius dici. Eaſdem res autem ſimul ac Fuſius aut Pomponius agere cœpit, non æqvè, qvid dicat, niſi admodum attendo, intelligo, ita confuſa eſt oratio, ita perturbata, nihil ut ſit primum, nihil ut ſecundum, tantaqve inſolentia ac turba verborum, ut

oratio,

oratio, qvæ lumen adhibere rebus debet, ea obſcuritatem & tenebras afferat, atq; ut qvodammodo ipſi ſibi in dicendo obſtrepere videantur. At Langius noſter ab omnibus in omnibus haud difficulter intelligebatur, & qvæ nemo (ut res ſæpè obſcuræ) non ſine ſummorum virorum admiratione, ita purè, ita liqvidè, ita perſpicuè proferre didicit, ut ne puerorum qvidem aliqvis, citra ſui culpam, ceſpitaret. Cùm videam, eorum, qvæ dici prætereà poſſent, ubertate me abreptum, verborum compendium facturus id unum hac vice ſubjicio: Uti Baſilius Magnus, ita B. Langius planè ad præceptum Apoſtoli Epiſcopi virtutibus fuit inſtructus. Adjuro conſcientiam omnium, qvotqvot eorum habuit, collegarum, an qvidqvam, qvâ experientiam, qvâ prudentiam, qvâ ſedulitatem, Beatus Noſter in ſe paſſus ſit deſiderari. Qvantum ille in Miniſteriô, Conſiſtorio, Conciliis, laborum ac moleſtiarum, ne victûs qvidem aut propriæ valetudinis habitâ ratione, etiam cùm jam domi ægrotaret, devorârit, non ignorare poſſunt ii, qvi Langium amiſerunt. Paſtores, ad ſe tanqvam communem Patrem confugientes, is tanqvam filios, qvâ poterat, comitate complexus, nunqvam ſine ſalutaribus (qvæ ceu harum rerum gnariſſimus ſemper in manibus habebat) conſiliis triſtes dimiſit. Omnibus adeoq; functionibus ex aſſe ſatisfecit, & qvod coronidem imponit, tanqvam devotus Aaron & Baſilius pro populô ſuô domi deprecatus, precibus etiam publicis intereſſe, plebiq; publicæ devotionis exemplum præire non fuit dedignatus.

Sed portum & Beati & Orationis meæ conſpicatus vela paulatim contraho, qvamq; glorioſô vitæ exitu Baſilii exemplô ad cœleſtia commigrârit, ne patienti-

am veſtram expugnare velle videar, deſideratâ brevitate recenſebo. Qvanqvam firmius ac toroſum, præ debili ac macilentô Baſilio, cui â primâ ætate cum valetudine conflictandum fuit, corpus accepiſſet: poſtqvàm tamẽ noſtrâ culpâ immortales eſſe deſiimus, non poterat, ex qvo natus eſt, ſemen illud ab infelici loliô mortalitatis, qvod inſuper, ne tardius videlicet proveniat, calamitatum ac laborum ſudoribus qvotidiè irrigatur, eſſe repurgatum. Primò autem, cùm ex Pegavienſi incendiô tremor univerſum corpus, pedes præcipuè, ut officium ſuum ritè non amplius facerent, occupâſſet, vita ſedentaria viſcera principalia debilitans, noxiam in corpore, dum animus interim ſyſiphea tot laborum ſaxa volveret, qvieſcente, lympham, qvæ vitam ipſam poſteà ſuffocaverat, collegit. Non thermis (qvas etiam, ſed ſine, ſucceſſu adhibuiſſe Baſilius conqveritur,) non medicorum operâ poterat liberari, volente ſcilicet domino, ut ſervus tàm fidelis in promiſſa gaudia introiret. Cùm itaq;, ut & hæc cum Nazianzenô loqvar, curſu confectô ac fide ſervatâ diſſolutionis deſideriô teneretur, tempusq; coronarum inſtaret, atq; ille qvidem non audire videretur: *Aſcende ad montem & morere*, verùm: *Morere & ad nos aſcende*, res ſuas protinus convaſare: qvæ profecturis impedimento eſſe ſolent, ſarcinas peccatorum Salvatori, in profundum maris mergendas committere: ſacrô viaticô ac commeatû ſe inſtruere: precibus ac devotis, qvas qvotidiè accerſiti ſymphoniaci præcinebant, cantionibus ad beatam ἀνάλυσιν ſe præparare. Vidiſſetis conjugi liberisq; in genua ad moribundi lectulum pervolutis valedicere, & cuiqve divinam benedictionem impertire: planè, ut Baſilius, qvi, cùm fermè mortuus

& exa-

& exanimis eſſet, maximâqve ex parte vitâ functus, converſus fuit ad extremos ſermones, ut cum pietatis verbis abſcederet, ac circumſtantibus manum & ſpiritum præberet, robuſtior factus nec animam exhalâſſe legitur, qvàm ſanctâ doctrinâ eos, qvi aderant, nonnihil inſtruxiſſet, extremisq; alloqviis meliores effeciſſet. Ventum jam ad ſupremum erat, cùm extremos ille ſpiritus trahens unicèqve in Chriſtum intendens, inter alternas conſolationes, preces & lacrymas aſtantium, beatiſſimam animam in manus ſui Salvatoris, fide plenus ac in dulciſſimum veluti ſoporem ſolutus placidiſſimè exhalavit, noſterq; in his terris, novus qvippe atq; glorioſus cœleſtium incola, Langius eſſe deſiit: cui æternam hanc felicitatem in communi, ad qvam omnes adſpiramus, Patriâ Chriſtiano affectu gratulamur. Tàm *nobilem* itaq; *in vitæ ortu*, tàm *illuſtrem in curſu*, tàm *glorioſum exitu*, qvod dicendum mihi fuerat, Langium veſtrum meum accepiſtis.

Tu verò, beatiſſima anima, tantillum abs me habe. Qvod ſi ad virtutis tuæ merita non acceſſerit, (plurima enim mihi prætermittenda fuêre) officium ſaltim pii affectus non diſplicebit. Qvid facerem enim impar muneri & tui deſideriô confectus? Qvanqvàm & DEO qvoqve gratum eſt, qvod pro viribus efficitur. Gaude interim tua gaudia, donec pari vivendi conditione ſuperſtites eâdem tandem lege omnes TE inſeqvamur.

DIXI.

PROGRAMMA X.

RECTOR UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

ad

ORATIONEM SOLENNEM

In Natali DOMINI, ſub meridiem ex umbone Ædis Paulinæ, habendam

UTRIUSQ. REIP. PATRES AC CIVES officioſè, humaniter, & decenter invitat.

UT veſpertiliones ſolis lumen ferre neqveunt; itâ Judæos ad illuſtriſſima de Salvatore noſtro ſcripturarum teſtimonia cœcutire videmus. Nihil illo Eſaiæ vaticinio c. VII, 14. *ECCE VIRGO concipiet & pariet Filium, cujus nomen vocabit Immanuel*, poterat eſſe clarius: & iſtud tamen frigidiſſimis gloſſematiis, ne veritati manus dare cogantur, בכל מאדם & *καδδύναμιν* eludere nituntur. Prodeat ex multis hâc vice virulentiſſimi illius *Nizzachon*, qvi Anno Chriſti 1399. Chriſtianis, Sadducæis aliisqve oppoſitus eſt, autor *R. Lipmannus*, cujus verba Ebraica, latinitate donata (a) ſunt iſta: *Oppoſuit mihi ſupremus Lindavienſium Sacrificulus, qvòd* אשה *maritatam, ſive ea ſit*

nata

a) n. CCXXV.

natu grandior ſive juvencula, עלמה *Virginem ſed juvenculam ſignificet. Cui reſpondi: ſicut* בתולה *Virginem tùm ætate provectam, tùm juvenculam comprehendit; itâ* עלמה *tàm maritatam, qvàm virginem, qvamvis ſolum juvenculam ſignificat, qvia ab adoleſcentiâ deſcendit, v. g. interroga cujus filius ſit iſte* עלם *adoleſcens* I. Sam. XVII, 56. *curtâſti dies adoleſcentiæ ejus* Pſ. LXXXIX, 46. *Et reperimus diſertè* עלמה *de devirginata uſurpari, dum dicitur: Tria ſunt abſcondita mihi, & qvartum non novi, Via aqvilæ in cœlo: Via colubri ſuper petrâ: Via navis in corde maris, &* Via Viri *in* עלמה *adoleſcentulâ. Prætereâ manifeſtum eſt in maritatâ, qvòd, ſi fornicetur, id in corpore ejus non poſſit adverti, ſecùs ſi Virgo fuerit fornicata, cùm id experiri etiam poſſimus per dolia vini, ut eſt in Cſubbos. Et ecce feci homini, ſicut mihi cogitârat. Voluit enim contrà me ex meâ linguâ diſputare. Sed noveram ego, qvòd in libris ſuis* (Chriſtianis) עלמה *per Virginem, qvæ ſanè* Virago, Vira *ſeu marita germanicè* Männin *eſt, non ancillam aut puellam, qvæ* בתולה *eſt, expoſuerint. Hæc R. Lipmannus.* Non præſtamus autem, qvæ Lindavienſis ille Sacrificulus ineptè diſputavit. Nec enim verum eſt, אשה non niſi maritam ac devirginatam ſignificare. Qvid qvæſo reſponſurus fuiſſet, ſi Lipmannus objeciſſet: Meſſias Chriſtianorum eſt ſemen אשה id eſt, mulieris. Gen. III, 15. Ergô Meſſias Chriſtianorum non poterit eſſe filius Virginis? Nimirum אשה à Viro, non qvatenus eum experta; ſed qvatenus מאיש לקחה à Viro ſumpta eſt Gen. II, 23. dicitur: & Eva à Creatoris manibus adhuc calens, nondum-

qve à Viro cognita (qvod poſt lapſum demum contigit Gen. IV.) אשה ac אשרין appellatur. Mirum verò non eſt Vulgatiſtam hac pugnandi ratione contrâ Ebræum decertâſſe. Qvàm rectè verò etiam *B. Auguſtinus* alicubi ex Num. XXXI, 17. (*omnes parvulas ex mulieribus, quæ non cognoverunt concubitum Viri, ſervabitis*) veram ſententiam, *qvod* אשה *etiam de Virginibus dicatur*, probaverit, Ebraicè doctus facilè advertit. In fontibus enim נשים non אשה legitur. Sed ad *Lipmannum* converſi, qvi probet, עלמה *etiam defloratam notare*, videamus. עלם inqvit, *deſcendit â* קטנות *ſeu adoleſcentiâ. Ergò ætatis, non Virginitatis nomen eſt.* Sed מוכה בסנוורין ſeu cœcitate percuſſus hic Ebræorum Doctor parùm Ebraicè docet, & ſubordinata ſibi invicem opponit. עלמה enim ab עלם *claudendo* & *occultando* dicta domi ſe continentem, Viris adhûc clauſam, & nonniſi cum velamine in publicum prodeuntem Virginem, vi vocis, denotat. (*b*) Unde Meretrix נפקת ברא *foras prodiens* (cujus ſcilicet *pedes* inſtar Veneris domiportæ, in *domo non habitant* Prov. VII. 11.) Chaldæis dicitur. Plura ejus rei, qvia aliud nunc agimus, lege apud Amam. (*c*) & Caſaubonum (*d*), qvi Bellarminum, qvòd per ἐγκλείστους Virgines in ſecundo Maccabaico, *Moniales* intelligeret, operosè confutat. *Alma* igitur origine *Virginem*, & juvenculam qvidem, qvod Judæo concedimus, ſignificat. Qvare & LXX. (qvi Interpretes qvanto in pretio à Judæis etiam poſt Chriſtum natum ann. 552. tempore Juſtiniani Imperatoris fuerint habiti,

b) Vid. Gen. XXIV. 65. & Tertullian. de Veland. Virginib. *c*) Antibarb. fol. 593. ſeqq. *d*) Exercit. I. f. 106.

biti, ex authent. CXLVI. apparet. (*e*) Verſionem illam קיום הפתרון מארת כלל עדת היהודים *confirmatam ab univerſo Judæorum cœtu interpretationem* vocat R. Aſar. * perfectionem hujus Verſionis mirè laudat, qvod Judæis poteſt objici) per παρθένος, qvæ vox Græcis non niſi Virginem notat, reddidêre. *Aſtioche* Iliad. *ſſ.* corrupta, à Matre παρθένος dicitur, qvia talis adhuc eſſe putabatur. Ἡ δὲ παρθένος νομιζομένη τοῖς γονεῦσι juxta Interpr. Nomen עלם qvod *R. Lipmannus* objicit, pro nobis facit. Ut enim עלם nunqvàm maritum, itâ עלמה nunqvam maritam, multò minus vitiatam ſignificat. Videamus exempla. עלם non niſi *1. Sam. XVII. 56.* & *XX. 22.* עלמה verò ſexum ſeqviorem notans (bis enim juxtâ nonnullos עלמות *1. Par. XV. 20. Pſal. XLVI. 1.* inſtrumenti Muſici, qvod das Gedackhte vel etiam Virgineum, ſicuti Dores genera qvædam Muſices παρθένεια vocata habuêre, diceres, nomen eſt. Errant, qvi cum *R. Salom.* Vulgatâ, imò ipſo Hieronymo Pſalmi IX. ἐπιγραφὴν hûc referunt. Non enim עלמות ſed על מות qvod *Kimchius* minùs rectè pro עלמות poſitum exiſtimat, legitur) ſolùm *Gen. XXIV. 43. Exod. II. 8. Prov. XXX. 19.* & noſtro *loco Eſ. VII. 14.* in *ſingulari*, πληθυντικῶς *Pſ. LXVIII. 26. Cant. I. 3. VI. 8.* nullibi præterea legitur. At hiſce locis ſignificationem, qvæ nobis refragetur, obtinere, nullo colore ullus hactenus Judæorum oſtendere potuit. Provocamus ad ſolam αὐτοψίαν. Nec eſt qvispiam Verporum, qvi vel Mi-

rium

e) Conf. Tertull. Apolog. c. 18. * Iliad. β.

f) Meor. En. fol. 26. 2.

riam *Exod. II. 8.* vel Rebeccam (de qvâ tamen qvòd de Camelo decidens *Gen. XXIV. 65.* Hymen ruperit, nugari ſolent) Virginem fuiſſe inficietur. Fruſtrâ Lipmannus vocem עלומיו *minorâſti dies adoleſcentiæ ejus* Pſ. LXXXIX. 46. urget. Eſto enim notari ætatem, connotatur tamen Virginitas: qvia talis intelligitur ætas, in qvam omnium certiſſimè virginitas competere ſolet. Unde Kimchius נעורים pueritias, infantias, (qvaſi dicas tempus *excuſſionis ex utero.* Ea enim vocis notatio eſt. Conf. *Gen. VIII. 21.* & R. Salom. B. Abrah. B. Schmuel qvi נערה puellam, ילדה infantem, טף parvulum & עלמה Synonyma facit) ſubſtituere non dubitat. Speciem præ cæteris habere poſſe videtur locus Prov. XXX. 19. de *Viâ Viri in Adoleſcentulâ:* qvem etiam vel maximè urgent recutiti. *Reperimus*, inqvit noſter, בהדיה *diſertè, manifeſtè, vocem* עלמה *de devirginatâ uſurpari.* Argumentum tale eſt: VIA VIRI *eſt concubitus.* *Ergò* עלמה *qvæ experta eſt* VIAM VIRI, *non poteſt eſſe Virgo illibata.* Reſpondemus, antecedens eſſe falſum. Subſumo enim *Prov. XXI. 2. 5.* alibi paſſim VIÆ VIRI, uti *Gen. XXXI. 35.* VIÆ MULIERUM fit mentio. Ergò & ibidem Concubitus Viri & Mulierum intelligetur qvod ἄτοπον. דרך nimirùm generaliſſimæ ſignificationis, h. l. Conſilia, cogitationes, molimina, inſidias, & occultas machinationes de Virgine vel ducendâ vel etiam corrumpendâ (qvod nobis intereâ perinde eſt) ſignificat. Nec obſtat, addi בעלמה in adoleſcentulâ: qvia ב illud non *termini*, ſed *objecti* eſt. Fatemur qvidem idem ב deſignare *terminum* in præcedentibus, dum *Viæ aquilæ* IN *Cœlo, Navis* IN *Mari*, & *colubri* IN *Petrâ* fit mentio:

tio: ſed diverſa noſtri verſiculi, cùm דרך in eo motum mentis, non (qvod in præced. fiebat) molis aut Corporis motum propriè dictum ſignificet, omninò ratio eſt. Frivola jam eſt collectio: *Almæ inſidiatur adulter, aut de Almâ ſibi jungenda occultè cogitat Vir. Ergò Alma non eſt Virgo.* Multi Juvenes in templo *ſtupra optica* (Matth. V. 28.) committunt, citrâ jacturam Virginitatis earum puellarum, qvas inordinatè appetunt. *Verſu*, inqviunt Judæi, *ſeqvente Prov. XXX. 20.* עלמה *per* אשה מנאפת *ſeu mulierē adulteram exponitur.* Reſpondemus: Mulier adultera Almæ non opponitur (obſtat enim particula כן, qvæ *ſimilitudinem* inter diſtincta, *non identitatem* unici notat) ſed cum adultero ver. præc. hoc ſenſu comparatur: *Ut adulteræ, ſic adulteri inſidiæ ſunt occultæ & incognitæ.* Qvæ Lipmannus de Virginitatis proba addidit, nugæ ſunt. Videant de hiſce experimentis Medici, qvorum eſt probare Virgines. Magis ridicula ſunt, qvæ de notatione Latinæ vocis *Virgo*, qvaſi idem ac germanorum Männin ſignificet, nugatus eſt. Diſputent cum Ebræo Doctore pueri noſtri. Qvòd ſi tamen in ſententiâ adhûc perſeveret, & עלמה etiam devirginatam eſſe poſſe credat, concedere tandem omninò cogetur hoc abſurdum: non eſſe in universâ lingvâ Sanctâ, qvod illibatam ſolummodò Virginem deſignet vocabulum. נערה enim & ætatis vox eſt, & maritatam denotat *Ruth. IV. 12.* בתולה & vitiatam *Devt. XXII. 19.* & Maritam, qvæ defunctum maritum luget *Joël. I. 8.* complectitur: qvando autem Virgo intelligenda eſt, additur ἐπεξήγησις, uti *Gen. XXIV. 16 Vir non cognovit eam.* Sola verò vox עלמה vi originis, ex perpetuo

tuo

tuo uſu non niſi virginem importat. Ut mirer *Mercerum*, *Druſium*, *alios* hanc vocem loc. cit. Prov. per devirginatam puellam (ſicut *Junius* lupam perfrictæ frontis, ſed qvæ pro Virgine habeatur, intelligit) exponere. Notabilia ſunt B. Lutheri verba. Hie ſtehet (ſprechen ſie) Alma bey einem Mann. Ich frage nicht ob Alma bey einem Mann ſtehe/ dann ich ſehe es ſelber ſehr wol/ GOtt gelobt/ darff keines Judens/ der mir das zeige. Ich ſage man ſolle mir beweiſen/ daß Alma hie eine Frau/ und nicht eine Jungfrau heiſſe / den Meiſter wolte ich gerne hören/ und 100. Gülden zugeben. Wie/ wann Salomo an dem Ort (wie es der verfluchte Goi Docter Luther verſtehet/ und ihm nicht wird leichtlich nehmen laſſen/ wanns gleich nicht 100. Gülden gelten ſolt) redet von dem verdrießlichen Unglück in der Welt? da ein Geber/ daß iſt/ ein Ehemañ/ nicht kan der Frauen Bette treffen in Gottes Namen/ und ſchleicht etwa einer Magd oder Jungfrauen nach in deß Teuffels Namen: Wiederumb/ Gebira/ (die Frau) nicht kan finden deß Manns Bett in GOttes Namen/ und kreucht zum Knecht oder andern Geſellen ins Teuffels Namen/ hat ein raum Gewiſſen / verſchlingt den Ehebruch / wie der Wolff eine Mücke / wiſchet darnach das Maul/ und darff ſie niemand eine Hure ſchelten/ wer wils beweiſen? Weil nun ſolches muß im finſtern geſpielet und heimlich gemauſet ſeyn/ da gehören wunderliche Wege/ Griffe und Rencke zu/ die kein Salomo noch Regent alle ausſinnen/ oder mit Verboten vorkommen oder überzeugen

g) Tom. VIII. Jenenſ. Germ. fol. 142.

zeugen kan/ſo weniger kan dem Vogel in der Lufft den Weg fürſchreiben/ weil der gantze Himmel ſein Weg iſt/und dem Schiff das gantze Meer ſein Weg iſt/ und gehet wo der Wind hin wil/ und die Schlange auff den Felſen/ die auch keine Schnur noch Richtſcheit hält/ ſie kan deß krummen zuviel. Es iſt ein Jammer dieſes Lebens/ daß man dem heimlichen Ehebruch nicht wehren kan/ und daß (leider) dem Ehemañ eine Magd baß gefällt/ dann die Frau/und ein Knecht der Frauen lieber iſt dann der Herr/ wie auch der Poet ſaget: Qvod licet ingratum eſt. Nitimur in vetitum. Lex occaſio peccati. Alſo wolte die Hure Potiphars thun dem frommen Joſeph Gen. 41. Dennoch heiſt Alma hie eine Magd oder Jungfrau/welcher der Mann nachſchleicht/ bringt er ſie zu Fall/ ſo iſt ſie nimmer eine Magd/ iſt ſie fäſt/ ſo bleibet ſie eine Alma. Manet proinde Eſ. VII. 14. partum Virgineum, tanqvam peculiare & ad mirandum אות ſignum denotari. Qvid enim miri, inſveti, aut (ut Jeremias c. XXXI, 32. loqvitur) *in terrâ novi eſt*, ſi puella ac juvencula, ſed devirginata, filium enitatur? Excipit qvidem contra vocem אות *R. Abarbinel.* והתבונן אמרו אות לא אמר נס ולא פלא וגם לא אמר מופת לפי שלא היה עתיד לחדש הקב״ה על זה דבר נסיו יוצא מאד מהמנהג הטבעי *dici, Deum daturum* אות *nudum ſignum, non* נס *prodigium* פלא *miraculum aut* מופת *portentum aliqvod: quod Deus non voluerit ejus rei causâ patrare aliqvod miraculoſi nimis à conſveto naturæ ordine remoti.* Supponit itaqve Abarbinel אות *non miraculum naturæ*

turæ curſum planè ſuperans deſignare, qvod qvàm ſit falſum, diligens Lector vel ex *Exod. IV. 9. 17. 25. 30. Joſ. XXIV. 16.* ut infinita ſcripturæ loca prætereamus, animadvertere poterit. *Nullum vero*, inqvit R. Luſitan. (*h*) *in totâ ſacrâ pagina ſignum datur, quod non præcedat ſignatum. Reſp.* Contrarium patet *Exod. III. 12. Hoc erit tibi* האות ſignum, *qvòd te miſi; qvando duxeris Populum ex Ægypto ſervient DEO* (id eſt (*i*) *legem accipient*) *in Monte hoc* conf. *1. Sam. II. 34. X. 1. 2. 3. 1. Reg. XXII. 35. 2. Reg. VII. 2. Eſ. XXXVII. 30. Jer. XLIV. 27. 29. 30. & Eſ. VIII. 4.* ubi *loqvela pueri adhùc futura* ſignum eſſe datur. Nimirum ſigna qvidem ἀναμνηστικὰ ſignatis poſteriora: ſed προγνωστικὰ, ad qvæ Virgineus ille partus pertinet, ſignatis priora eſſe ſolent. Qvod Judæi vel *Propheti ſſam*, vel *Achaſi Uxorem*, vel ejusdem *filiam* ſubſtituunt, miſſis jam aliis doctorum ſolutionibus, vel hâc ſolâ ratione confutari poteſt: עלמה id eſt, *Virgo Immanuelis Mater eſt. At nec Propheti ſſa nec Achaſi Uxor aut filia* עלמה *ſeu Virgo fuit. Qvare nulla harum Immanuelis Mater, de qvâ Eſai. c. VII, 14. eſſe poterit.* Per Immanuelem verò non *nomen proprium*, ſed *res ipſa* (uti Jeroſolyma Urbs veritatis, mons Jehovæ exercituum, mons ſanctus *Zach. VIII, 2.* Meſſias admirabilis, Deus fortis, Pater æternitatis &c. *Eſ. IX. 6.* & juxtà veteres Ebræorum ינון *Jinnon Pſ. LXXII. 17.* dicitur) intelligi debet. Nec (qvod R. Luſitanus præterea cum R. Iſaaco B. Abrah. regerit) Jeſaias dicens, qvòd *Immanuel diſcet reprobare malum & eligere bonum*, doctrinæ Chriſtianorum dicen-

h) Colloq. Mittelburg. fol. 148.
i) juxta R. Salom.

dicentium ex ſcripturâ: Chriſtum à conceptione divinâ ſapientiâ repletum, & omnes in ipſo ſapientiæ Theſauros reconditos fuiſſe, adverſatur. Humanæ enim ſapientiæ profectus non arguit divinæ defectum, & inter ejusdem κτήσιν ac χρῆσιν in exinanitionis ac κενώσεως profundiſſimæ ſtatu diſtingvere novimus. Ut autem ad redemptionem noſtri, Redemptoris ἀναμαρτησία reqvirebatur: itâ absqve peccato ut naſceretur, absqve virili ſemine ex Virgine concipi debuit. Qvia verò ψιλὰ ἄνθρωπος ſatisfacere non potuit, θεάνθρωπος ex illibata Virgine naſci voluit. Noſtrum eſt, hæc myſteria reverenter perpendere, Deoqve, qvi propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis & incarnatus eſt, gratias agere. הִנֵּה ECCE, inqviebat veteribus Propheta, *Virgo concipiet & pariet.* Sed ECCE, nos, qvod Patriarchæ non poterant, dicimus: *Virgo concepit & peperit Immanuelem.* Illuxit enim illa dies, qvam pii V. T. deſiderantes, anhelabant: *ô ſi cœlis disruptis vel tandem deſcenderes!* Illuxit illa nunqvam ſatis admiranda dies. ECCE enim, Mater Virgo, Virgo Mater eſt. Homo ipſum Deum, Deum-hominem, Creatura Creatorem peperit. Matris ſuæ Pater Deus ac Creator Filius eſt, qvi revera ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ eſt. Digne itaqve celebremus illam diem, qvæ mundo ſalutem intulit, noſtramqve carnem in ipſius Dei perſonam ſublimavit. Ecce nobis, nobis ille ex carne noſtra natus eſt Immanuel, puer ac Salvator datus eſt. O deſideratiſſimam igitur, ô fructuoſam illam diem! deſideratiſſimam Patriarchis fructuoſam toti generi humano. Sed in hoc argumento Viri Juvenis Pereximii ac Præſtantiſſimi Dn. M. ADAMI Rechenberg/*SS. Theol.*

 Stud.

Stud. & Alumni Electoralis pietas prolixiùs occupabitur. Adeſte igitur freqventes, Deoqve ipſi, qvi naſci pro vobis voluit, officium, Oratori verò noſtro benivolentiam, de Studiorum ac officiorum redhoſtimento certiſſimi, comprobate. P. P. in Natali Domini M DC LXVIII.

PROGRAMMA XI.

JOHANNES ADAMUS SCHERZERUS,
D. & Prof. Publ.
Alumnis Electoralibus Saxonicis in Acad. Lipſ.
THESES
ANTI-SYNCRETISTICAS,

Singulis diebus Sabbathi ab horâ VI. matutinâ in Lampade ventilandas, juxtâ ductum Syntagmatis Anti-Syncretiſtici Locorum MAGNIFICI DN. CALOVII, exhibet, eosdemqve, ut freqventer huic exercitio interſint, peramanter invitat.

LITANIA EVANGELICORUM:
A Pſeudo-Prophetis, falſis Fratribus & Syncretiſtis libera nos DOMINE! Κύριε ἐλέησον!

SApientiſſimum monitum eſt: *Ne credas inimico tuo in æternum; ſicut enim æramentum æruginat; Sic neqvitia illius: & ſi humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum & cuſtodi te ab*

te ab illo: etiamſi enim illum tanqvam ſpeculum exurges, tamen ſemper aliqvid retinebit æruginis. In labiis enim ſuis indulcat inimicus, & in corde ſuo inſidiatur, ut ſubvertat te in foveam. In oculis ſuis lacrymatur; ſed ſi tempus invenerit, non ſatiabitur ſangvine. Syr XII, 10. 11. 15. 16. conf. Jer. XLI, 16. Non poterat aptiùs in Syncretiſtas dici, qvi ovium veſtitu lupum tegentes, veritati & libertati noſtræ in Chriſto inſidiantur. *Verbis*, ut loqvitur Hieronymus, *ſonant concordiam, re exigunt ſervitutem,* (*a*) *ingeruntq; nobis primùm nomina veritatis, ut virus introëat falſitatis,* (*b*) qvod Auguſtinus dicens: *hanc eſſe ornatam januam, qvâ errores omnes imperitorum animis latenter irrepant,* (*c*) confirmat. Et Mareſius ipſe non diſſimulans: *debent*, inqvit, *ex Regulâ Medicorũ mali humores digeri & incidi prius qvàm* EVACUENTUR. *Et cùm non detur tranſitus ab extremo ad extremum, intacto MEDIO, debet prius agi inter partes de mutuâ & Chriſtianâ tolerantiâ, qvàm de* ABSOLUTO CONSENSU. (*d*) Erit itaq; Calvinianorum intentione Syncretiſmus *Pulvis digeſtivus præmiſſus, in officinâ Joh. Calvini præparatis pilulis* ἄνω κάτω *purgando evacuandoq; Univerſaliſmi* (qvod vocant) *veneno; & qvicqvid Lutherani humoris in corpore noſtro reliqvum eſt.* Ne itaqve hæc Medicorum Turba Reginam Eccleſiam perderet, cordatis Theologis pro conſcientia & ex divino mandato nunqvam non laborandum fuit: qvod & nos pro talentulo & virili, ex qvo Theologicæ admoti

L 3 fuimus

a) T. II. fol. 184. ed. Baſil. 1553. *b*) Hilarius ſub unit. L. VI. de Trinit. *c*) Epiſtol. Fundam. c. XI.
d) Vid. Dnn. Witteberg. Antapol. præfat. f. 38.

fuimus Profeſſioni, præſtitimus. Factum inde eſt, ut in diſcipulorum gratiam hujus Problematis: (Utrùm invariatæ A. C. & F. C. addicti Evangelici in Imperio Romano, Syncretiſmum vel Pacem Eccleſiaſticam, Conciliationem aut Tolerantiam Religionum, qvalem Syncretiſtæ, Irenici Calviniſtæ, Papiſtæ, Falſiqve Fratres poſcunt, ſalvâ conſcientiâ, illæsâqve veritate divinâ & confeſſione noſtrâ inire poſſimus, & ob commodum neceſſitatemqve Eccleſiæ orthodoxæ debeamus?) negativam jam antè biennium demonſtraremus. Tractatum qvatuor Sectiones abſolvunt, qvarum I. Terminorum & totius Qvæſtionis ἐξήγησιν: II. Problematis heterodoxam κατάφασιν ſeu, affirmationem: III. Problematis orthodoxam ἀπόφασιν ſeu negationem: IV. Argumentorum Syncretiſticorum διάλυσιν & reſolutionem tradit. Qvæſtio ipſa (I.) *Chriſtianam Fraternitatem* (II.) *Sacrorum Communitatem* (III.) *Doctorum immunitatem*, qvæ Privilegiorum infauſto ſeptenario (α) *Tolerantiâ* ſcilicet ſpeciatim dictâ (β) *Anathematum intermiſſione* (γ) *Elenchi neglectu* (δ) *Diſputationum declinatione* (ε) *Conſeqventiarum rejectione* (ζ) *Privatorum ſcriptorum non allegatione* (η) *Nomenclaturæ diſcretivæ intermiſſione*, abſolvitur: (IV.) *Armorum ſocietatem*, qvorum omnium fundamentum eſt *Fundamenti ſalutis integritas*, ambitu ſuo continet. Ex qvibus (qvia h. l. tantùm de Syncretiſmo cum Calviniſtis agimus) hæc qvæſtio emergit: *Utrùm, qvæ invariatam A. C. in Imperio Romano profitentur, Evangelicæ Eccleſiæ, illæsâ veritate divinâ, ſalvâ conſcientiâ, integris diverſis manentibus cœtibus & Confeſſionibus, adeoq; citra συμφώνησιν do-*

ctrinæ

ctrinæ cum Reformatis Eccleſiis inire poſſint ac debeant mutuam ſocietatẽ, quâ utrarumq; (Eccleſiarum) *membra ac ſocii, apud utroſq;, propter ſententiarum diverſitatem, non excludantur communione Sacramentorum; ſed tàm hi apud illos, qvàm illi apud hos, ſive Auguſtanæ, ſive Reformatæ Confeſſionis admittantur: neutri hæreſeos damnentur, refutentur, aut diſputationibus, ac conſeqventiis non agnitis urgeantur: qvin potiùs utriq; pro fratribus in Chriſto habeantur, tolerentur, & ſub uno Duce CHRISTO ob commodum neceſſitatemq; Eccleſiæ contra Antichriſtum, conjunctis copiis pugnaturi in Solem & pulverem, extrudantur.* Hujus negativam hoc generali argumento tota Sectio III. ἀποφαντική probat: *Qvæcunq; Pax non tantùm (α) Claro DEI verbo (β) ſibi ipſi (γ) Praxi Sanctorum Vet. & Nov. Teſt. (δ) Primitivæ & ſuccedentis Eccleſiæ orthodoxæ (ε) Conſcientiæ (ζ) Confeſſioni (η) qvalitati & (θ) Proceſſui paciſcentium (ι) Receſſibus Imperii (κ) Æqvitati naturali (λ) Regulis Chriſtianæ Prudentiæ, imò (μ) ipſis Adverſariis repugnat; ſed etiam (ν) Eccleſiis orthodoxis noxia eſt: Illam Evangelici ſalvâ conſcientiâ & prudenter nec poſſunt, nec debent inire.*

Atqvi Pax Syncretiſtica talis eſt. Ergò. Sectionis III. Subſectio I. probat Minoris Membrum *I.* ſeu, *qvod Syncretiſmus repugnet verbo DEI, (α) Mandato contrarii* Rom. XVI. 17. Matth. VII. 15. Matth. X. 16. 1. Tim. VI. 3. 5. Tit. III. 10. Zach. IIX. 19. Matth. XVI. 6. Phil. III. 2. 2. Tim. II. 16. Eph. IV. 14. Tit. I. 9. coll. cum 7. à §. LIII. ad LXIII. (β.) *Prohibitione divinâ.* 2. Cor. VI. 14. 2. Joh. v. 10. Gal. I. 8. 9. coll. cum c. V. 9. 12. Deut. XIII. 8. c. XXII. 9. ſeq. Levit.

XIX. 29. à §. LXIII. ad LXIX. (γ.) *Improbatione in Iſraëlitis* Exod. XXXII. 4. ſeqq. *in Baalitis* 1. Reg. XII. 28 ſeq. Hoſ. II. ib. &c. *in Samaritis* 2. Reg XVII. 28. ſeqq. *in Phariſaizantibus* Act. XV. 5. ſeq. qvò pertinent dicta Pſ. V. 5. Eſ. IX. 14. 15. Jer. V. 29. 30. 31. VI. 13. IIX. 10. Prov. XI. 1. Pſ. CXIX. 104. XXXI. 7. ad §. LXXVII. (δ.) *Comminatione Pœnæ* Eſ. V. 20. Pſ. V. 7. 1. Reg. XXII. 23. 1. Tim. IV. 2. Apoc. II. 2. XXI. 8. III. 16. XIV. 9. ad §. LXXXI. (ε.) *Reatu* 2. Joh. v. 11. Rom. I. ult. Luc. XI. 23. Apoc. II. 18. ſeqq. ad §. LXXXV. Membrum (*II.*) *ſeu Syncretiſmum impoſſibilem* oſtendimus ex Gen. III. 15. Eccl. I. 15. 1. Cor. X. 21. Matth. VI. 24 nam materia (verum & falſum) eſt irreconciliabilis: extra ſphæram activitatis humanæ negotium ponitur: Deus tanqvam principalis talem transactionem prohibet Eſ. XXX. 21. Matth. V. 18. ſeq. unde cauſa organica nullum taliter tranſigendi mandatum accepit: ad §. XCV. Membrum *III.*) *Syncretismum* ſcilicet *praxi Sanctorum V. & N. T. repugnare*, tùm *defectu*, tùm *contrarietate exemplorum*, *Abrahami*, *Jacobi*, *Moſis*, *Eliæ*, *Pauli*, *probatur* §. *XCIIX.* (e) Membrum (*IV.*) ſeu *praxis primitivæ & ſuccedentis Eccleſiæ orthodoxæ* exemplo *Baſilii* (*f*), *Polycarpi* (*g*), *Irenæi* (*h*), *Chryſoſtomi* (*i*), *Cypriani* (*k*), *Hieronymi* (*l*) & *Orthodoxorum* cum Nova-

e) Vid. Dn. Danhau. Myſt. Syncret. fol. 73. ſeq. Sigvvart. c. Iren. Par. fol. 4. B. Meiſner. diſp. ult. Coll. Adiaphoriſt. Theſ. XXXII.

f) ex Theodoret. L. IV. c. XIX.

g) ex Iren. l. III. c. III. Euſeb lib. IV. c. XIV.

h) Lib. III. c. XV. *i*) Orat. de Veris Orator.

k) De Simplic. Cleric.

l) Epiſt. ad Theophil.

Novatianis, Neſtorianis, Acephalis, (*m*) Donatiſtis, Origeniſtis, Aërianis, Hemerobaptiſtis, Pelagianis, Semipelagianis, Tatianis, Florianis, Arabicis, Helvidianis &c. proceſſu: *noſtræq; tandem Orthodoxæ Eccleſiæ* (*n*) praxi ad §. CII. oſtenditur, Membrum (*V.*) ſeu *Syncretiſmum* (1.) *Conſcientiæ noſtræ* ʃ. *CV.* (2.) *Calvinianorum* ʃ. *CVI.* (*o*) qvia tùm Arminianorum V. articulos tolerare non potuerunt, tùm nos Phariſaiſmi, Capernaiſmi, Papiſmi, Arianiſmi, Samoſateniſmi, Sabellianiſmi, Eutychianiſmi, Pelagianiſmi, Marcioniſmi, Donatiſmi, Agnoëtiſmi, Theopaſchitiſmi, Tritheiſmi, Manichæiſmi, Schwenckfeldiſmi, Mohammædiſmi, Atheiſmi, Epicureiſmi, damnare non erubeſcunt: & (3.) *Calixtinorum, Rintelenſium,* qviqve de Dreierianâ factione ſunt, repugnare, idoneis argumentis ad ʃ. CXIX. evictum eſt. Membrum (*VI.*) *Syncretiſmum videlicet paciſcentium Confeſſioni repugnare* collatis inter ſe Confeſſionibus ad ʃ. *CXXIII.* probavimus. Membrum (*VII.*) ſeu *qvòd Qvalitati paciſcentium Syncretiſmus repugnet*, patet ex (α) *defectu poteſtatis tranſigendi*, qvæ utiqve in Miniſtris (*p*) reqviritur: (β) *privati* citra totius Eccleſiæ, qvæ hactenus Contradixit

L 4 con-

m) Vide omninò & ex profeſſo Facund. Hermianenſ. Libb. XII. pro tribus Capitulis Chalcedonenſibus.

n) per ann. 1529. 1530. 1531. 1535. 1533. 1536. 1537. &c.

o) Ex Synod. Dordrac. Sect. XXXIIX. f. m. 180. edit. Hanov. ann. 1620. Sect. XXIX. f. 145. Sect. XXV. f. 92. 94. Conf. Acta Remonſtrant. fol. 44. ſeq. Part. Hiſtor. ex Actis Amſtelodamenſ. & Schiedamenſ.

p) 1. Cor. IV. 1. 1. Cor. XI, 23. 1. Pet. IV, 10. ſeq. Deut. IV, 2. XII. ult. Matt. XV, 9. it. c. cum 52. X. de elect. nihil agitur c. venerabili 37. X. de offic. delegat. c. ult. X. de reſtit. ſpoliat.

(q) conſenſum tranſigere validè non *poſſunt*: (γ) cum Calvinianis tanqvam *fallacibus* (cujus rei exempla produximus) tutò paciſci non valemus: (δ) Rinteleienſes in ſpecie tùm intellectualibus, tùm moralibus *reqviſitis*, (r) inſtructi non fuerunt: (ε) Calviniſtæ ſecum neqve in *dogmatibus*, neqve in *ritibus* & ceremoniis (qvod ad §. CXXXV. præcipuè ex Hiſtoriâ Anglicanâ deductum eſt) tranſigere hucusqve potuerunt. Membrum (*IIX.*) & *qvòd Syncretiſmus paciſcentium Proceſſui contrarietur*, vel ex Actis inter Remonſtrantes & Calviniſtas (cujus rei documenta ad ʃ. CXXXIX adduximus) conſtare poſſe arbitramur. Membrum (*IX.*) id eſt *Receſſibus Imperii adverſari Syncretiſmum* ex Actis publicis (s) ipſiusqve adeô Inſtrumenti Pacis (t) probavimus ʃ. CXLV. Membrum (X. & XI.) ſeu, qvòd *Syncretiſmus æqvitati naturali ac Chriſtianæ Prudentiæ adverſetur* XXIV. argumentis, qvæ excerpere hâc vice non licet, ad §. CL. evictum eſt. Membrum (XII.) *Syncretiſmum* ſcilicet *etiam ipſis Adverſariis repugnare, dictis, hypotheſibus* & *factis* ad §. CLV. manifeſtum dedimus. *Dicta* tùm *deſperantium* tùm *improbantium* allegavimus: *Hypotheſes* Syncretiſmum evertentes contulimus: *Facta* Calvinianorum ob oculos poſuimus. *Lutheranis*, inqvit Bergius, *ſine periculo ſalutis noſtræ conſentire non poſſumus: ſed contra illorum Articulos minùs principales oportet nos conſtanter veritatem defendere, ne per modicum fermenti tota maſ-*

q) Vid. Appendicem Teſtimoniorum des gründlichen Beweiſes Dnn. Wittenbergenſium.

r) qvod Dn. D. Seldius im Abgott p. 1. toto cap. VI. probavit. s) anni 1531. 1532. 1536. 1558. 1561. 1566. 1594. t) paragr. VII.

ta maſſa fermentetur, & verum fundamentum obſcuretur & planè perdatur, (*u*) *Apertè teſtamur, nova illa Ubiqvitariorum dogmata ex Neſtorianâ & Eutycheâ hæreſi prognata in Eccleſiâ ferri non poſſe, neq; nos tales pro fratribus unqvam agnoviſſe, aut agnoſcere poſſe*, ſunt verba. (*x*) Tigurinorum Membrum (*XIII.*) *qvòd* nimirum *Syncretiſmus noxius ſit* §.*CLIX.* probavit. Noxius eſt (*α*) qvia Deo, (*β*) juratæ Confeſſioni noſtræ repugnat: (*γ*) Proceſſus Calvinianorum Reformatorum ſcilicet Reformantium in ſuperiore Palatinatu, Haſſiâ &c. nos terret: (*y*) (*δ*) Syncretiſmus eſt Apoſtaſiæ Mater. Voëtius antidotum contrâ Apoſtaſiam laudaturus: *Caveamus nobis*, inqvit, *ab infelicibus Syncretiſmis & Conſiliis Syncretiſticis* (*z*) (*ε*) Fatentur Calviniſtæ, Syncretiſmo ſe Religionis Lutheranæ exterminium moliri. Hornbek ultrâ Sendomirienſem Syncretiſmum (ubi pro uno ferè Eccleſiarum corpore haberi omnes voluerunt) negotium promoveri vult. (*a*) Pareus *fruſtrâ Colloqvia eſſe* ait, *ſi nos non cedamus* (*b*) Nec enim Calvinianos, qvos errare non credidit, â ſententiâ dimoveri poſſe, cenſuit. De'Mareſii pulvere digeſtivo initio percepimus. &c. (*ζ*) Huc faciunt dicta Luc. XI. 23. Gal. II, 5. 2. Cor. VI. 14. Gal. V. 9. Et hæc fuit Generalis tantùm probatio Minoris in Syllogiſmo,

u) de diſcr. & Conciliat. Evangelicor. fol. 213.

x) In Apol. ad defenſ. Jac. Andr. c. XIII. f. 127. b.

y) Legatur omninò Conzen. l. 9. Politicor. c. XXIV. Cancellaria Anhaltin. part. 1. Alphab. 3. fol. 5 qvibus cum Acta Staffortenſium Calviniſtarum contra Pforzhemenſes ſunt conferenda.

z) Part. III. Selectar. f. 784.

a) Summ. Controverſ. l. IX. fol. 674. *b*) Iren. cap. III.

qvem propoſuimus, generali. Subſectio II. ſpeciatim ſingula à §. *CLX.* ad *CCLXIIX.* prolixè probat. Sectio autem IV. Syncretiſtarum argumenta, qvæ à prætensâ *Poſſibilitate*, *Facilitate*, *Æqvitate*, *Utilitate*, *Neceſſitate* (mandati, periculi) & *Autoritate* (Sanctorum V. & N. T. Patrum, Doctorumqve) deſumuntur, ordine & juſtâ methodo reſolvit. Iſta biennio abhinc privatim prælegens diſcentium animos maturè in his controverſiis præparare conſtitui. ut à Syncretiſtico fermento prudenter ſibi cavere in tempore diſcerent. Animus qvidem erat, illa μελετήματα publici juris facere; ſed obſtitêre qvædam, qvo minùs juſtam operi limam adhibere potuerim hactenus. Dum verò in eo ſum, ut qvasdam inde, qvæ Alumnis Electoralibus ad diſputandum proponerentur, poſitiones, excerperem: ecce opportunè Magnifici Dn. Calovii, Theologorum noſtri temporis Principis שליטא *Syntagmatis Anti-Syncretiſtici, diſputatorio Collegio, exhibitos, & Syncretiſtarum erroribus CL. oppoſitos Locos* accipio. Qvos ſimul ac luſtravi, me in nobiliori præſentiqve tempori magis conveniente materiâ Electoratûs Saxonici Alumnos exercere non poſſe, facilè intellexi. Agite igitur, diſcipuli lectiſſimi, in Auditorio, qvod Lampada vocatis, ſingulis diebus Sabbathi ab horâ VI. matutinâ veſtri mihi copiam facite: Symbolam, prout reſpondendi vel opponendi munus cuiqve veſtrum injunctum fuerit, prompti conferte: has controverſias familiares vobis reddite, ſoliqve Homileticæ, qvam aliàs ſummoperè commendamus, (per viſcera JEſu Chriſti vos oro atqve obteſtor) multorum cacoëthes imita-

imitati, totos Vos non tradite. Itâ Vos Miſericordia divina & æterna Salus æternùm beet! P. P. Dominicâ Miſericord. Dom. cIↄ. Iↄc. LXIIX.

Programma XII.

RECTOR

UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

ad

ORATIONEM

SOLENNEM

In Reſurrectionis Dominicæ feſtivitate ſub meridiem ex umbone Ædis Paulinæ habendam

Utriusq Reip. Patres Ac Cives officiosè, humaniter ac decenter invitat.

SI mortui non reſurgunt, ne Chriſtus qvidem reſurrexit. Qvòd ſi Chriſtus non reſurrexit, ſupervacanea eſt fides veſtra, adhuc eſtis in peccatis veſtris. Igitur & qvi obdormierunt in Chriſto, perierunt. Si in hâc vitâ tantùm in Chriſtum ſperamus, miſerrimi ſumus omnium hominum. Nunc autem Chriſtus reſurrexit ex mortuis: primitiæ eorum, qvi dormierant, fuit. Ita graviſſimè Gentium Apoſtolus contra eos, qvi inter Corinthios mor-

mors, qvam pertimeſcimus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterùm, qvæ nos in lucem reponet dies, æqvo animo debet rediturus exire &c. ſunt Senecæ verba. (*n*) *Zoroaſtro ac Theopompo Ariſtotelis diſcipulo univerſalem reſurrectionem aſſerentibus, nemo,* inqvit Gazæus de immortal. *antiqvorum contradixit.* Qvare ad gentilium teſtimonia provocaturus Athenagoras: *Reſurrecturos*, ait, *non noſtra tantùm aut vana perſvaſio eſt, ſed Philoſophis etiam multis adprobata.* (*o*) Tot ſanè (à Jove Calliſthenis fil. & Pelopem ab Hercule Alceſten, ab Æſculapio Hyppolitum aliosqve multos) à mortuis excitatos fuiſſe, perſvadere aliàs inqviunt, non potuiſſent. De Apollonio in vitâ ejus (*p*) Philoſtratus tradit, qvod ſub Nerone *puellam vitæ reſtituerit*, ut Apollonium hunc Chriſto Hierocles (qvem ex profeſſo Cæſarienſis Euſebius confutavit) æqviparare non dubitaverit. Ipſe adeò Plinius, qvi reſurrectionem tamen ſuperiùs inter ipſa ipſi etiam Deo ἀδύνατα retulerat, plurimos, ex qvibus Cæſaris Claſſiarius Gabienus, in vitam rediiſſe commemorat. *Nobile*, inqvit idem, *illud apud Græcos volumen Heraclidis ſeptem diebus* (NB. Laërtius in Empedocle *triginta* habet) *fœminæ exanimis ad vitam revocatæ.* Plura videantur apud Platonem (*q*), Valerium (*r*), Plutarchum (*s*), Macrobium (*t*), Plinium (*u*), Plutarchum (*x*), Heſychium (*y*). Qvanqvam verò hæc fabuloſa exiſtant, oportuit tamen talia credentes reſurrectionem impoſſibilium non ſolùm

n) Ep. XXXVI. *o*) Apolog. circa finem. *p*) Lib. 3. *q*) l. XI. de Rep. c. 35. *r*) lib. 1. c. 108. Exempl. l. externo. *s*) Sympoſ. IX. 5. *t*) ad ſomnium init. *u*) N. H. l. 7. c. 52. *x*) Romul. Theſp. & L. de ſera DEI vindicta. *y*) de Philoſoph.

pleniſſima exclamavit: קָנִיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָה Poſſedi VIRUM-JEHOVAM (*a*) q. d. *Ecce jam habeo* SEMEN MULIERIS *promiſſum*, *Hominem pariter ac Jehovam*, *θεάνθρωπον*, *ſerpentis contritorem*, *ruinæ reparatorem*, *clauſiq*, *reſeratorem Paradiſi.* Ey / GOTT ſey gelobet / da habe ich den HErrn / den Mann / den Samen / der dem Satan und der Schlangen den Kopff zertreten ſoll / der wirds thun. (*b*) Qvod inſigne teſtimonium ſatis apertè docet, qvòd *πρωτομήτηρ* *Myſterium Incarnationis*, & inde, in genus humanum, derivata beneficia neqvaqvàm ignoraverit. *Loqvitur* enim EVA, recentem de SEMINE MULIERIS (*c*) *promiſſionem* animo volvens: *loqvitur* FOEMINA, ex Paradiſo in vaſtum miſeriarum orbem detruſa & Salvatorem deſiderans: *loqvitur* MATER, primum maſculum enixa: *loqvitur* de hôc fœtu, qvem hominem eſſe probè noverat: *loqvitur* de maſculo non vulgari, ſed MASCULO-DEO, VIRO-JEHOVA: *loqvitur* denique de uno eodemqve ſuppoſito, adeoqve, ſuâ opinione jamjam recens natô, *DEO HOMINE.* Qvæ aſſertio, cùm duobus duntaxat *fundamentis* (I.) *particulâ* אֶת *qvarti caſus* ac *Appoſitionis* charactere, tùm (II.) *voce* יְהוָה tanqvàm proprio ac incommunicabili *DEI nomine*, nitatur, facilè ex tàm clarâ textûs literâ probabitur. (א) *Omne* enim אֶת, *copulatum nomini recto per verbum tranſitivum purum*, *deſignat Accuſativum*, uti (*d*) in principio בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת הַשָּׁמַיִם creavit DEUS *τὸν οὐρανόν.* Unde R. Menaſſe Ben Iſr.

a) Gen. IV, 1. *b*) B. Lutherus ad margin.
c) Gen. III, 15. *d*) Gen. I, 1.

PROGRAMMA XVII.
RECTOR
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS
ad
ORATIONEM
SOLENNEM
In Reſurrectionis Dominicæ Feſtivitate
Sub meridiem in Æde Paulina recitandam

UTRIUSQ REIP. PATRES AC CIVES
officioſè, humaniter, ac decenter invitat.

M*Ortuorum Reſurrectio* uti gentibus ſtultitia eſt, ità multò minùs ipſis (qvos Sociniani ſtrenuè ſeqvuntur) creditum, qvòd Chriſtus ſemet ipſum & propriâ virtute ſe in vitam revocârit. Qvæ duo cùm alibi ex Scripturis luculenter comprobata ſint, id ſolùm reſtare videbatur, ut, *qvem in finem* Salvator, ſuperatis tot contumeliis, cruciatibus, acerbiſſimâ paſſione, & morte, reſurrexerit, hâc ipsâ Feſtivitate ſtrictim delinearemus. Ac initiò qvidem conſtituendum eſt, Chriſtum nobis *à DEO juſtitiam,* (*a*) ſeu, qvod idem eſt, *peccatum factum eſſe, ut nos juſtitia DEI* (DEO placens & accepta) *per illum efficeremur,* (*b*) *Propoſuit enim* *DEUS*

a) 1. Cor. I, 30. *b*) 2. Cor. V, 21.

Apoſtolus enim ex reſurrectione Chriſti neqvaqvam *reſurrectionis* hominum *univerſalitatem;* ſed ex *illius veritate hujus* ſolummodò *poſſibilitatem* infert, qvod Balduinus (*t*) poſt alios, prolixè deducit. Verba Apoſtoli (*u*) clara ſunt: *Si Chriſtus reſurrexit, qvomodo dicunt qvidam* NB. non eſſe reſurrectionem? *ſi autem reſurrectio non eſt, nec Chriſtus reſurrexit.* Nec impedit, (B) qvòd *Paulus* (*x*) *impios, reſurrectionem negantes aloqvatur, ut* Brochmannus excipit. *Non enim ſeqvitur:* Paulus dixit, cùm Chriſtus reſurrexit, falſum eſt, qvod impii dicunt non eſſe reſurrectionem: *qvare* Paulus dixit: impios vi meritorum Chriſti reſurgere. *Non ſeqvitur:* Chriſtus reſurrexit, & impii reſurgent. *Ergo* ex meritis Chriſti reſurgent. *Multò minùs ſeqvitur:* ex reſurrectione Chriſti conſtat, eſſe reſurrectionem mortuorum, *qvare* omnes omninò homines vi meritorum ac reſurrectionis Chriſti reſurgent. *Argumentum*, inqviunt, (C) *Paulinum motæ qvæſtioni ſolvendæ non erit ſufficiens, niſi reſurrectio Chriſti, cur pii pariter ac impii ſimul reſurgant, cauſa exiſtat: non enim qværebatur de piorum tantùm reſurrectione, ſed de reſurrectione generatim controverſia fuerat agitata.* Verùm enim verò, qvæſtio erat indefinita: *an* ſcilicet *poſſibilis eſſet reſurrectio*, cui ſolvendæ *exemplum reſurgentis Chriſti* ſufficiebat. Chriſtum enim ex mortuis reſurgentem Apoſtolus (*y*) non ut *cauſam*, ſed ut *exemplum reſurrectionis*, contra eos, qvi *poſſibilitatem* ipſius inficiabantur, allegat. *Apoſtolus* tamen (D) *latitudinem mortis per Adamum cum latitudine reſurrectionis per Chriſtum collaturus:* Per

t) Comment. d. l. *u*) l. c. *x*) l. c. *y*) h. l.

mur, cùm Vir Juvenis Eximius atqve Doctiſſimus Dn. M. JOH. GABRIEL DRESCHLER, *Wolckenſteinenſis Miſnicus, SS. Theol. Studioſus ac Alumnus Electoralis* luculentâ Oratione, *ipsâ Reſurrectionis Dominicæ Feriâ,* ſub meridiem, in Æde B. Pauli habendâ, hanc pietatis rationem nobis præeat, Utriusq; Reip. Conſcripti Patres, ac Cives, uti CHRISTO Reſurgenti officium, ſic Oratori noſtro benivolentiam haud dubiè comprobabunt. P.P. Feriâ primâ Paſchatos cIↃ. IↃc. LXXI.

Programma XVIII.

PRO-CANCELLARIUS AD Actum Promotionis VI. Candidatorum LICENTIÆ conſeqvendi gradum DOCTORIS in Studio Theologico deſtinatus JOH. ADAM. SCHERZERUS, SS.Theol.D.& Prof. Primarius, Fac. ſuæ Senior, ac h. t. Decanus &c.

LECTORI BENIVOLO
Salutem.

Διότι γνόντες τὸν Θεὸν, οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν, ἢ εὐχαρίστησαν, ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς

ſæ Mariæ confugerunt nomen & auxilium (*g*) *NB.* Sic *Georgius Caſſander* ipſe audivit, *correptum fuiſſe à Jeſuitis juvenem, quòd jamjam propter religionem comburendus DEO, non Mariæ, animam ſuam commendârit.* (*h*) Sed pergat Jeſuita Vega: *Mariæ magiſterium qui freqventat, & citiùs & doctior evadet, quàm qui DEI magiſterium adit,* (*i*) *Maria ad æqualitatem & ultrà pro beneficiis à DEO in nos collatis cumulatè ſatisfecit,* (*k*) *Mariana obſeqvia in Filium præſtita ſuperant dona DEI in humanum genus collata,* (*l*) *Mariæ dolores majores qvàm Chriſti,* (*m*) *Maria complet, qvæ deſunt paſſioni Chriſti* (*n*) *Maria altare, in qvo qvotidiè offerebatur Chriſtus morti,* (*o*) *DEUS à Mariâ mititatem & manſvetudinem hauſit,* (*p*) *Maria ipſi DEO miſericordiæ indolem indidit,* (*q*) *Mariana mititas infinitam DEI miſericordiam adauxit,* (*r*) *Mariæ precibus excitatus Deus Filium ſuum Mundo donavit,* (*s*) *A Mariâ Chriſtus mitis ac blandus ad nos accedit, à ſinu Patris durus, debellator.* (*t*) *NIHIL gratiæ à DEO in nos derivatur, niſi per merita Mariæ.* (*u*) *Maria dici poteſt cauſa meritoria noſtræ Prædeſtinationis.* (*x*) *Mariæ contulit Pater æternus privilegium, qvod nec Filio, nec Spiritui S. communicavit.* (*y*) *Maria idem cor habet cum Patre æterno.* (*z*) *Pater æternus & Maria ſunt duo in carne unâ.* (*a*) *DEUS nihil expedit in ſuâ curiâ, qvod priùs Maria non ſubſcribat verbo FIAT.* (*b*) *Maria aureum habet*

DEI

g) Ibid. *h*) defenſ. lib. de offic. f. 849. ſeq. *i*) l. c. 1. n. 1130. *k*) n. 1267. *l*) ibid. *m*) n. 1255. *n*) n. 1778. *o*) n. 1774. *p*) n. 36. 122. *q*) n. 1296. ſeq. *r*) n. 1289. *s*) n. 1765. *t*) n. 1295. *u*) n. 1725. *x*) n. 1731. *y*) n. 934. *z*) n. 1804. *a*) n. 1788, *b*) n. 1318.

ζητήσεων, qvæ nihil omninò proficiunt, mæandris atqve gryphis, *qvomodo Chriſtus ex Mariâ Virgine pro totius mundi ſalute editus, in nobis etiam, ſiqvidem fructum ſalutiferæ ejus nativitatis ad nos redundare velimus, adhuc hodiè naſci debeat*, luculentâ oratione oſtendere, in animum induxerit ſuum. Qvô qvidem argumentô qvid qvæsò hôc tempore, vel aptius, & auguſtius, vel jucundius pariter ac fructuoſius eſſe poterat? *Ideò* nimirum *Dominus noſter virginem ſibi reqviſivit hoſpitium habitandi, ut nobis oſtenderet in caſto corpore Deum portari debere. Ad hoc enim Deus hominem ſuſcepit in ſe, ut & nos Deum ſuſcipiamus in nobis, ſicut ipſe dicit*, (*l*) *manete in me & ego in vobis.* (*m*) Virgines igitur ſimus, ſi Chriſtus in nobis naſci debeat. Virgines, inqvam, nullô cum carne, Mundo ac diabolo adulteriô pollutæ, ût παρθένον ἁγνὴν exhibeamus Chriſto. (*n*) *Qvam virginem caſtam, niſi in fidei, ſpei, charitatis integritate?* inqvit iterùm (*o*) Auguſtinus. Beatam prædicat Mariam Eliſabetha qvòd crediderit, (*p*) qvia fide Salvatorem concepit. Itaqvè non niſi per fidem Chriſtus in cordibus noſtris habitare, (*q*) & in nobis qvaſi (ſi ita hîc, (*r*) loqvi fas ſit) formari poteſt. Ancillam verò Domini dum ipſam ſe, (*s*) παρθενομήτηρ appellat, nos omnes, ut Chriſtus ſpiritualiter in nobis naſcatur, ſervitiorum, huic Domino præſtandorum, admonet. Qvæ omnia cùm modò laudatus DN. M. GOLDBACHIUS NOSTER, publico nomine longè explicatiùs ſit traditurus, ab *Utriusq.*

l) Joh. xv. *m*) B. Auguſtin. de Temp. in Natal. Dom. Serm. XIII. *n*) 2. Cor. XI, 2. *o*) l. c. Serm. xxv. fin. *p*) Luc. I, 45. *q*) Eph. III, 17. *r*) ex Gal. IV. 19. *s*) Luc. I, 38.

mus. Nihilô ſaniores ſunt Gvilielmi Eſtii exceptiunculæ: *qvod (1) non fuerit dicendum*, qvem ego mittam Vobis à Patre, *ſed potiùs*: qvem ego mittam pro vobis ad Patrem: *(2) qvòd in divino officio nusqvam legatur Spiritum Sanctum vocari Advocatum, ſed Conſolatorem*: conſolator optime, in fletu ſolatium &c: ejus conſolatione ſemper gaudere: (3) *qvòd Theophylactus & Euthymius conſolatorem non advocatum interpretentur*: *qvòd* (4) *cùm Chriſtus dicat, ſcire ad Patrem, non opus fuerit mittere alium advocatum, qvia Chriſtus deinceps Patri futurus præſens, commodiſſimè advocati officio qveat fungi, &* (5) *qvòd, ſi Sp. S. ſit advocatus, hujus rei gratiâ non fuerit mittendus ad diſcipulos, ſed potiùs manere debuerit apud Patrem, ut ibi pro diſcipulis interpellaret: qvòd tandem* (6) *Dominus loqvatur de Paracleto propriè dicens*: alium Paracletum *ſcilicet qvalis ſum ego, Chriſtus autem ſit propriè advocatus ſecundùm humanam naturam, qvalem non habet Spiritus S.* Hinc concludit *impoſſibile eſſe, ut Spiritus S. ſit noſter advocatus, hocq; dicentem incidere in Hæreſin Macedonianam.* (t) ὐδὲν, inqvam, ὑγιὲς in iſtis. Qvaſi enim (1) Sp. S. non ſit advocatus fidelium in his terris contrâ Satanam, Mundum & propriæ conſcientiæ inſultus! qvaſi non debeat teſtimonium τῆς υἱοθεσίας præbere Spiritui noſtro! Et ubi, qvæſo Te, in Scripturis legis, *qvòd una Trinitatis Perſona alteram pro nobis ad Patrem vel Filium mittat?* Obſervare debebat Theologus illud, qvod Petrus ſemper in ore habuiſſe dicitur: ὐδὲν ἄπερ γραφῆς λέγομεν. (u) Non fru-

t) Annot. aur. in Joh. XIV, 16. fol. m. 621.
u) apud Clem. Alexandr. L. VI. Stromat.

de causâ in nobis habeamus. *Hujus rei graviſſimè ad DEUM Pſalmiſta (p) clamabat: Domine, ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronâſti nos.* *Bonæ voluntatis* SCUTUM *nihil aliud appellans, qvàm* PROTEGENTEM *nos* SPIRITUM &c. En Cyrillo *Paracletum orphanis, clypeum infractum, ſcutum bonæ voluntatis divinæ*, verbo: *Protegentem nos ſpiritum!* Qvi, qvid aliud, qvàm Spiritus advocatus eſt? At *humanâ Spiritus ille deſtituitur naturâ.* Benè! Non igitur ceu θεανδρ, ut cum Dionyſiaſtrô & Damaſceno loqvamur, ſed ſolà θεϊκῇ, non ἱλαστικῇ aut μεσιτικῇ, ſicut ab initio dicebamus, παρακλήσει nobis aſſiſtit, qvod nos â Macedonii Hæreſi facilè liberat. Eſt ergò & manet SPIRITUS S. ADVOCATUS noſter, qvod etiam ex *Interceſſione* ejus (q) ubi ὑπὲρ ἁγίων ἐντυγχάνειν, & *inenarrabilibus* (ἀλαλήτοις, *ineloqvis* Tertulliani voce) *gemitibus* ὑπερεντυγχάνειν pro nobis dicitur. In qvem locum Cornelius à Lapide: *Spiritus S. poſtulat* i. e. *deſideria amicorum ſuorum eorumq; gemitus inenarrabiles in Conſiſtorio SS. Trinitatis qvaſi Paracletus, id eſt, ADVOCATUS noſter exponit magnâ inſtantiâ, magno pondere, & magnâ autoritate.* *Hæc enim omnia ſignificat Græcum* ὑπερεντυγχάνειν *id eſt, ſuper expoſtulare.* *Nam* ὑπὲρ *notat præeminentiam Spiritûs S. in poſtulando, qvaſi ipſe præſit omnibus poſtulationibus, ſitq; qvaſi Magiſter & PRÆFECTUS LIBELLORUM SUPPLICUM noſtrorum apud DEUM & latinum poſtulare* inqvit *Ulpian. l. 1. tit. de poſtul. eſt deſiderium ſuum vel amici ſui in jure apud eum, qvi Jurisdictioni præeſt, exponere.*

p) Pſalm. V. q) Rom. IIX, 26. ſeq.

qvod pace Magnorum Virorum Auguſtini. (*u*) Gregorii, (*x*) Origenis aliorumqve Doctorum Eccleſiæ in tàm lubrico loco lapſantium velimus dictum. Hos inter etiam, ut rei difficultatem agnoſcas, fuit olîm B. Feuerbornius, at qvantus Theologus! (*y*) qvi poſteâ, re meliùs expensâ, (*z*) ſeipſum corrigens, noſtræ ſententiæ, ad mentem B. Gerhard. (*a*) Gerlach, (*b*) Heshuſ. (*c*) Rung. (*d*) Brent. (*e*) Weſembeck. (*f*) & Spangenberg. (*g*) omninò acceſſit. *Qvod Spiritus S. dicitur pro nobis intercedere gemitibus inenarrabilibus, id Hunnius explicat, de eo; dum nos orare faciat. Eadem eſt mens Mylii, Balduini, & plerorumq; Patrum. NB. Sed CERTE PLUS adhuc in iſtis verbis continetur, & innuit Paulus Spiritum S. non ſolùm nos orare facere; ſed etiam ipſummet orare in nobis, qvoniam eſt advocatus noſter*, inqvit (*h*) B.Gerhardus. Videri etiam poteſt B.Dannhauerus, qvi (*i*) Spiritûs S. *orationem formalem, cœleſtium gemituum genus, ac divinam interpellationem ex Phraſeos* (1) *ſenſu* (2) *Synonymiâ* (3) *diverſitate & gradibus argumentorum* (4) *ex abſurditate ſensûs.* NB. qvòd ſcilicet Spiritus S. faciat, ut nos interpellemus pro nobis, & noſmet noſtri ſimus advocati, *nec non* (5) *ſuffra-*

u) Epiſt. CXXI. de Orando Deo c. XV. *x*) L. II. Moral. XXII. *y*) Faſcicul. IV. diſp. VI. Th. 31. & D. IX. Theſ. 43. *z*) Syntagm. I. P. III. diſſert. III. Theſ. 28. fol. m. 53. 6. *a*) L. III. Schol. Pietat. fol. 353. Harmon. c. 176. *b*) Tom. I. diſp. VI. Theſ. 312. ſeqq. f. 604. ſeqq. *c*) in Epiſt. Rom. c. IIX. f. 258. *d*) Diſp. in l. c. Rom. Part. II. cap. Theſ. 12. *e*) in l. c. Rom. fol. 217. *f*) Conc. IX. fol. 707. ſeq. *g*) Conc. LXVI. ſup. id cap. f. 344. ſeqq.
h) Comment. in Rom. IIX. fol. 108. *i*) Hodoſoph. edit. 2. fol. 942. ſeqq.

dioſus induſtrius, ab UTRIUSQ. REIP. CONSCRIPTIS PATRIBUS CIVIBUSQ. ut honorificâ præſentiâ Cœlitùs miſſo nobis PARACLETO gratitudinem, *Nobis* favorem ac officium, *Oratori* honorem ac benevolentiam probare velint ſuam, reciprocam promptitudinem polliciti, humaniter & officiosè contendimus. PP. Ipſo Feſto Pentecoſt. A. O. R. cIↃ. IↃc. LXXIII.

PROGRAMMA XXV.

RECTOR UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

ad audiendam

ORATIONEM

Qvæ

In Templo Paulino die XX. Octobris,

Seriæ qvippe Pœnitentiæ, Supplicationibus publicis, ac Jejunio ſolenni

A SERENISSIMO POTENTISSIMOQ;

DN.DN. JOH. GEORG. II.

Duce Sax. Jul. Cliv. ac Mont. S. R. I. Archi-Mareſchallo & Electore,

Pientiſſimè dicatâ, peractis ſacris matutinis, recitabitur,

Utriusq; Reipubl. Patres ac Cives, prout decet ac par eſt, officiosè, ac humaniter invitat.

INDICTUM EST JEJUNIUM, CAVE, NE NEGLIGAS. DIFFER ALIQVANTULUM. NON LONGE FINIS EST DIEI. Ita in auribus noſtris reſo-

vio: non EPULÆ paratæ extorqveant, ut cœleſtibus ſis vacuus ſacramentis. Differ aliqvantulum, (EPULAS ſcilicet) &c. ſunt iterùm verba Ambroſii, qvorum pars initiò adducta à nobis fuit. Notum qvoqve, cur Tertulliano *jejunia ſtationum* SEMIJEJUNIA dicerentur. *Ut enim res ſuas & Montaniſtarum ſententiam & mores extollat, qvi ad veſperam ſtationes ſuas producebant, easq; horâ IX. ut orthodoxi dimittere nolebant, per contemtum vocat ea jejunia, qvibus orthodoxi diebus ſtationum ſe exercebant, Semi-jejunia, qvia ea non continuabant ultrà horam nonam, qvâ horâ jejunia æqvè ac ipſas ſtationes dirimebant,* inqvit Epiſcopus Alba Spinæus. (*k*) Cæterùm, qvòd *ſola* iſta *à cibis abſtinentia* jejunium non commendet, ipſe Dominus apud Prophetam ediſſerit: *nunqvid*, inqviens de Iſraëlitarum Jejunio, *tale eſt jejunium, qvod elegi, ut per diem affligat homo animam ſuam? nunqvid, ut incurvet, ſicut juncum caput ſuum & ſaccum & cinerem ſternat? Nunqvid* (hoc) *vocabis jejunium & diem accceptabilem Domino.* (*l*) Ratio erat, qvia abſtinebant qvidem à cibis, affligebantqve corpus, non tamen abſtinebant à peccatis, ſolo externo opere, qvod *operatum* vocant, contenti, cui meriti & ſatisfactionis opinionem affricabant. Id qvod Jehovæ, tanqvàm inutile, imò noxium atqve abominandum, omninò diſplicebat. Qvemadmodùm ipſa etiam ſacrificia, ſi fides offerentium aberat, ſeverè deteſtabatur. *Qvorsùm mihi multitudo ſacrificiorum veſtrorum, dicit Jehova, ſatur ſum holocauſtis arietum, & adipe pingui-*

um

k) Obſervat. L. I. Obſervat. XVI. fol. 49.
l) Jeſ. LIIX, 5.

id eſt, octavum, qvi eſt de SPIRITU SANCTO, magno impetu labefactare adorſus eſt. Nam circâ annum Domini 866. temporibus Nicolai primi Romani Pontificis exortum eſt (ut ego quidem arbitror, qvamvis alii aliter ſentiant) Schiſma græcorum ab Apoſtolicâ Sede & Eccleſiis occidentis, cujus qvidem Schiſmatis fundamentum eſt error ille Græcorum in tot conciliis confutatus, qvo Spiritum Sanctum à filio non procedere pertinaciſſimè contendunt. Tametſi enim multò antè Macedonius Spiritum Sanctum Deum eſſe, & Theodoretus eundem Spiritum Sanctum à filio procedere negavit: adeò tamen eo tempore in ipsâ Chriſti verâ divinitate atq; humanitate oppugnandâ Satanas occupabatur, ut articulum fidei, qui ad Spiritum Sanctum pertinet, ac potiſſimùm eam partem, qvæ de proceſſione eſt à patre & filio, nonniſi leviter tentâſſe videatur. Hæc, inqvam, Cardinalis, in habitâ *Romæ ann. M. Iↄ. LXXVI.* & ſuis de Controverſiis Fidei Diſputationibus præmiſsâ ORATIONE (qvæ vox ibidem omiſſa) verba ſic ſatis concinnè hiſtoriam hæreſium contra Perſonam Chriſti (ſe ipſum tamen tacitè in *Neſtorianis* perſtringens. Qvi enim cum Jeſuitis *excommunicationem Idiomatum* propugnant, ipſiſſima Neſtorii, qvicqvid obnitantur, ſunt propago) cum ſerie articulorum ac temporis componunt: *ad Spiritum Sanctum* verò qvod attinet, calculum neqvaqvam merentur. Omiſſo enim circâ *Divinitatem ejusdem* certamine, potiſſimum controverſiæ Græcorum de *proceſſione à Patre ac Filio* in Seculo à Chriſto nato IX. mentionem faciens, inſuper in *qvæſtionum momentis* aſſignandis humani ac Romani qvid (ut molliſſimè dicamus) omninò patitur.

tur. Ecce enim dogma Græcorum *de proceſſione Spiritus Sancti à Patre* PER FILIUM Schiſmatis (*paſſivi* videlicet: iniqvo enim anathemate percuſſis Græcis ipſemet Epiſcopus Romanus falſo, *nominatæ qvæſtionis*, prætextu, reverâ autem, qvòd *Orientis Eccleſiæ arrogatum Primatum Latinis concedere nollent*, Schiſma fecit) fundamentum, ſine omni fundamento, pronunciat: Satanam verò *articulum fidei, qvi de Spiritu Sancto eſt*, per Macedonium NON NISI LEVITER TENTASSE ἀθεολόγως affirmat. Qvid enim? annè vel *error Macedonii* fundamentalis non fuit: vel hæreſis iſta, parum Eccleſiæ Catholicæ negotii faceſſivit? Ipſe Cardinalis de Macedonio, (qvi cùm primùm artis plumariæ eſſet, poſteâ presbyter, & Eccleſiæ tandem ab Arianâ factione obtruſus Conſtantinopolitanis Epiſcopus fuit,) itâ loqvitur: *Macedonius de Spiritu Sancto cum Arianis ſentiebat teſte Auguſtino de Hæreſ. c. LII. Ariani autem Spiritum Sanctum filii creaturam dicebant, ut S. Baſilius teſtatur L. II. in Eunomium, ubi dicit: Arianos ex eo probare ſolitos, Filium eſſe Patre minorem, qvòd Pater creaverit Deum qvendam parvum, hoc eſt, Filium: Filius autem non potuerit creare Deum, nec magnum nec parvum, ſed Spiritum Sanctum produxerit, qvi nullo modo ſit Deus* (a) Et nonne per *Arium*, qvi *Spiritum Sanctum pro creaturâ habuit*, non leviter afflixit Eccleſiam Satanas? In re manifeſta teſtes adducere ſupervacaneum exiſtimamus. Legantur Concilii Niceni acta, cum Hiſtoria Arianæ Hæreſeos. Non enim furor Arianicus magis ob errorem circâ Deï æternum Filium, qvàm circâ divinita-

(a) L. II. de Chriſto c. XXI.

factaverit. Et ſanè à qvamplurimis recentioribus pariter ac antiqvis Doctoribus inſimulari videas Origenem: *qvòd* ὑποβαθμοὺς *in Trinitate ſtatuens, Filium Patre, Filioq; Spiritum Sanctum inferiorem* ſtatuerit. Id qvod eidem imputatur ab *Hieronymo*,(*m*) *Epiphanio*, (*n*) (qvi in *anacephalæoſi* inſuper ait: *Filium ac Spiritum Sanctum inter creaturas ab Origene poni*) *Photio.* (*o*) Confer *Baſilium* (*p*) & alios, qvi ipſum *Arianorum Promachum*, *fontem ac principium* dicebant: (*q*) qvale qvid etiam *Centuriatores* noſtri (*r*) ex nonnullis Phraſibus librorum περὶ ἀρχῶν colligunt. Accedit ad cumulum Jeſuita *Dionyſius Petavius* (*s*) poſthabitis, qvæ ex prioribus ſeculis adducuntur, ità ſcribens: *Primus, qvod qvidem conſtat, Origenes Spiritus S. Dignitatem apertè violare eſt auſus, atq; illum multò Patre inferiorem eſſe docuit, cùm & infrà Filium ipſum ſtare illum diceret cui ſecundos à Patre concederet. Tales enim trium Perſonarum* ὑποβαθμοὺς *gradatimq; deſcendentem ordinem conſtituit Origenes, & Ario deinde Euſebioq; perſvaſit.* Utitur verò Petavius *Hieronymi* potiſſimum, (*t*) imò *Origenis* ipſius (*u*) teſtimoniis. Adſtipulatùs eſt Jeſuitæ nuper admodùm nempè an. 1673. *Henricus de Noris Veronenſis Auguſtinianus, Theol. Prof. & Romanæ univerſalis Inqviſitionis Qvalifica-* to-

m) Epiſt. LIX. ad Avitum. *n*) Hæreſ. LXIV. *o*) Bibli-oth. Cod. VII. fol. 10. *p*) L. de Spir. S. c. XXX.
q) ap. Binium Tom. II. Concil. fol. 4. ex Petro Epiſcop. Ravenn. ad Eutych. Epiſtol. *r*) Centur. III. fol. 183. *s*) Dogmat. Theol. L. I. c. XIV. §. VIII.
t) Epiſtol. LIX. ad Avit. LXI. ad Pammach. LV. ad eund. & Oecanum nec non Apol II. contr. Ruffin.
u) Tom. II. in Johan.

officium deducetur. Poſt *Epicurum* confutat, (*b*) *qvi nec iram, nec gratiam in DEO eſſe contendit. Cùm enim putaret alienum à Numine eſſe malum facere atq; nocere, qvod ex affectu iracundiæ plerumq; naſcitur: ademit ei etiam beneficentiam: quoniam videbat, conſeqvens eſſe, ut ſi habeat iram Deus, habeat & gratiam. Itaq; ne illi vitium concederet, etiam virtutis fecit expertem. Ex hoc, inqviens, beatus, & incorruptus eſt, qvia nihil curat, neq; habet ipſe negotium, neq; alteri exhibet.* Qvæ vox non hominis, ſed bruti meritò à ſanioribus etiam inter gentes judicatur. Unde *Cicero* rectè à *Poſſidonio* dictum refert: *ſenſiſſe omninò iſto dicterio Epicurum, nullos eſſe Deos: ea verò, qvæ de Diis locutus ſit depellendæ invidiæ causâ dixiſſe: itaq; verbis illum Deos relinqvere, re autem ipsâ tollere: qvippe qvibus nullum motum, nullum tribuat officium. Stoici* aliqvanto meliùs de Divinitate ſentientes *gratiam qvidem in DEO eſſe, iram non eſſe docuêre: favorabili* (ut iterùm *Lactantius* loqvitur) *admodum ac populari ratione non cadere in DEUM hanc animi puſillitatem, ut ab ullo ſe læſum putet, qvi lædi non poteſt; ut qvieta illa & ſancta majeſtas concitetur, perturbetur, inſaniat, qvod eſt terrenæ fragilitatis. Qui hæc ſentiunt,* Lactantio judice, *propiùs qvidem ad veritatem accedunt, ſed in parte labuntur naturam rei parùm conſiderantes. Si enim DEUS non iraſcitur impiis & injuſtis, nec pios utiq; juſtosq; diligit. Nec ſiç oportebat eos argumentari: Qvia Deus non iraſcitur: ergò nec gratiâ commovetur: ſed ita: qvia Deus gratiâ movetur: ergò & iraſcitur. Si enim* (hæc con-

b) c. IV.

tis, non videtis Affectus *qvàm turpes, qvàm indecoras numinibus attribuatis inſanias? Qvid eſt enim aliud iraſci qvàm inſanire, qvàm furere, qvàm in ultionis libidinem ferri, & in alterius doloris crucem efferati pectoris alienatione bacchari?* Qvæ, cùm de *irâ*, prout *ex mente gentilium* ejusmodi falſorum numinum *affectus* eſt, non, uti θεοπρεπῶς vero Deo convenit, locutus ſit, non adprobanda nobis videtur iſta *Elmenhorſtii* (*l*) obſervatio: *Videtur hic noſter illorum Philoſophorum ſecutus opinionem, qvi aſſerebant, non iraſci Deum.* Non minùs tamen iram ut commotionem, atqve affectum Deo reverâ attribuit *Tertullianus*, non *ſignotenùs tantùm & efficientiâ*, ut ad illum excuſandum, *Petavio* Jeſuitâ (*m*) judice, Jeſuita *Pamelius* loqvitur. (*n*) Catholica verò omnisqve fermenti pura ſinceritas, ab extremis minùs recti dogmatis ſibi cavens, *iram* in Deo *eſſentialem* qvidem *proprietatem*, ſed *ſine affectu perturbationis, mutationis, alienationis* aut *ullius paſſionis* aſſerit. Ut caſtigemus inſimul recentiores ex *Socini, Arminii* ac *Vorſtii* Scholâ prodeuntes hæreticos, qvi *iram* pariter atqve *miſericordiam*, vel pro *accidente* in Deo, vel pro *arbitrario* duntaxat *voluntatis effectu* extrâ Deum venditando, ipſius *ſimplicitatem*, cum Chriſti *ſatisfactione* inficiati, præterea vel *Epicureiſmo* vel *deſperationi* latam portam tantò certiùs aperiunt, qvantò pertinaciùs, *temperamento* qvodam ea conciliari poſſe, infitentur. Contrâ qvas *vitæ doctrinæq; peſtes* pectora noſtra maturè communiamus oportet. Pone iræ *affectum* in Deo, & *ſpes redeundi cum eo in gratiam*

l) ad l. c. *m*) l. c. *n*) Vid. Tertull. L. I. c. Marcion. c. 26. l. II. c. 16. de Teſtim. an. c. II. de Anim. c. 19.

tiam decollavit. *Si*, inqvit *Chryſoſtomus*, *morbus eſſet ira Dei*, *non injuriâ qvis à ſpe decideret*, *perinde atq; concitata tantis facinoribus flamma deinceps reſtingui neqveat.* (o) Finge cum *Socinianis*, nec juſtitiam, qvâ peccata puniuntur, nec miſericordiam eſſentialem in Deo eſſe proprietatem: qvis magnopere ſibi à peccatis temperabit, incertus ſcilicet, an unqvam ſint punienda: aut qvis veniam commiſſorum certò ſibi pollicebitur de gratiâ minimè ſecurus? Sit ira in DEO *non eſſentialis*, in cenſum contingentium erit referenda. Hujus verò generis qvæ ſunt, ab extremis æqvè diſtant, ad neutrum illorum ſuopte genio determinata. Idem igitur Numini fuerit, pecces, an ſecus, cum ſi pecces, puniare, vel non puniare, ipſi ſit perinde. Hoc mantellum neqvitiæ obtendunt impii dicentes: *peccata mea minimè recordabitur altiſſimus.* (p) *Superbè loqvuntur*, *qvi viduam*, *peregrinum ac pupillos occidunt dicentes: non reſpicit Jehova*, *neq; animadvertit DEUS Jacob.* (q) *Dicit impius cum animo ſuo*, *oblitus eſt Deus*, *abſcondit faciem ſuam*, *non reſpicit unqvam.* (r) *Qvare irritat improbus Deum*, *dicens cum animo ſuo: non te repoſciturum eſſe?* (s) id eſt, vindice irâ ulturum. Non enim tàm Deum ipſum qvàm Dei providentiam, juſtitiam, atqve iram adversùs ſcelera, ibi negare dicuntur. Qvæ *ſecuritas peccandi* in multis inde etiam nata videtur, qvòd *miſericordiam* divinam non rectè conceperint. Unde Siracides: *de expiatione ne ſecurus eſto*, *cum abundaveris*

addes

o) Paræneſ. prior. ad Theodor. lapſum. p) Eccleſiaſtic. XXIII, 24. q) Pſalm. XCIV. 4. 7. r) Pſalm. X, 11. s) verſ. 13.

erres, *vel cum Sophiſtis* (qvibus, ut videmus, Cornelius à Lapide ſeſe adſociavit) *errandi occaſionem ſumas, qvi docent, non debere nos eſſe certos de amore Dei; hoc eſt apertè contra Scripturas & fidei noſtræ caput de remiſſione peccatorum.* Accedant illa Jeſuitæ *Alphonſi Salmeronis: Hic locus neqvaqvam probat, qvod aliqvi inde accipiunt, hominem neſcire amorem DEI erga ſe, NB. quia ſeqvitur in textu: neſcit, an amore vel odio dignus ſit. At impii propter maxima ſua ſcelera nôrunt, ſe maximè dignos eſſe odio Dei.* (c) Vult enim Salomo: qvòd nemo hominum ex eventibus externis colligere qveat, an proximus, apud Deum in ſtatu amoris, vel odii ſit, *cùm eventus idem ſit juſto ac impio, mundo ac immundo,* (religioſo & irreligioſo) *ſacrificanti & non ſacrificanti, perjuro & juramentum ſervanti.* (d) *Purgatorium fabula* eſt, à Monachis ad crumenas purgandas inventa. En technas Cacodæmonis, qvi eodem miſericordiæ divinæ prætextu homini non tantùm ſecuritatem peccandi, ſed etiam deſperationem, ſaltim incertitudinem gratiæ ac remiſſionis peccatorum, perſvadere conatur. Noſtrâ verò omninò intereſt, hæc extrema vitare inqve iram pariter, atqve miſericordiam Dei itâ intueri, ne vel illius *ſeveritate* absqve ſpe reſurgendi præcipites ruamus; vel hujus *lenitate* peccandi licentiâ ferociamus. Iræ enim divinæ conſideratio ac ſenſus amarum contrito, ob commiſſa delicta, cordi dolorem incutit; *Miſericordia* verò ſpem veniæ contritis promittit. Lex ut iræ; Evangelium ceu miſericordiæ divinæ ſpeculum nobis objicitur. Ira peccatores

 terret:

(c) Comment. in 2. Cor. XIII. diſp. XIV. §. Sed objiciunt. (d) Eccleſ. IX, 1. 2.

gatos (i) *præmiſit*, *ut viſcera miſericordiæ ſuæ* (k) *oſtenderet*: qvòd ſcilicet *nolit mortem ullius peccatoris*, *ſed ut convertatur ac vivat.* (l) Doloris vehementiam ſciſſa qvaſi ac tertiata verba innuunt. *Etenim* (inqvit *Toletus* (m) *fletus à triſtitiâ oritur: & ſicut gaudium dilatat cor; ità triſtitia conſtringit. Corde verò conſtricto & congelato vix poteſt, qvod intus eſt, exire. Unde in Pſalm. XXXII. ſtatuit qvaſi in utre, à qvo nihil poſſit exire. Igitur qvia cor domini, conſcriptum erat magnitudine doloris pro peccatis populi Iſraël, non potuit tunc integrum explicare ſermonem, ideò ait: Si cognoviſſes & tu, & in hâc die, qvæ ad pacem tibi. Sicuti* (n) *deflens Pater mortuum filium, qvem unicè diligebat, cùm juberetur tanti fletûs cauſam exponere, non potuit mortem ejus exprimere, ſed abrupto ſermone: filius*, inqvit, *ſolus, habilis & pollens ingenio adoleſcens.* (o) Cæterùm iſte *dolor*, tenerrimi *amoris filia* eſt. Unde cùm Chriſtus ad tumbam Lazari fleret, Judæi dicebant: *Ecce qvomodo amabat eum.* (p) Fudit igitur *Lachrymas* (II) *amoris*, qvo civitatem, peccatricem ac ingratam, imò totum humanum genus complectitur. Sunt (III.) *Lachrymæ expiantis*, qvibus æſtum iræ divinæ reſtingvere voluit. *Ex piiſſimis enim oculis ad omnium peccatorum expiationem lachrymarum fluenta uberrimè manando effudit*, ut loqvitur *Dion. Carthuſ.* (IV.) *Intercedentis* apud Deum, ne imminentia mala experiri cogantur. Qvomodo in *arâ crucis* (non *pro*

i) ut Cyprian. L. II. Ep. LXXII. loqvitur.
k) Theophyl. h. l. l) Ezech. XIIX. 32. 1. Pet. III. 8.
m) h. l. n) Gregor. Homil. XXXIX. in Evang.
o) Comment. h. l. f. 398. p) Joh. XI, 35.

tegros Tædium & negligentia exercitus ſuccenturiatos miſiſſent ſuos, qvi ſine ulla reqvie, ſine ullis acerrimè pugnare ſolent induciis, ut, qvi eos debellare velit, ne ſomnum qvidem capere debeat, dum ad qvævis momenta Capitolium, arcem humanæ mentis invadunt, ut non tam de arcendo, qvàm iterum expellendo hoſte ſuſcipiendæ ſint cogitationes. Occuparunt enim proh! arcem, & intimis ejus inſederunt, ut improbo non minus, qvàm dubio laborè eò enixius ſint tentandi, qvò difficilius eſt ejicere, qvàm non admittere hoſtes. Utræqve hæ copiæ appendicem exercitum poſt ſe, meris ex lixis, caculis, calonibusqve conflatum, trahunt, cui paupertas Ductor & Princeps datus. Fert hic miles impedimenta qvaſi bellica, dum reverà noſtrorum militum conatus & ſtudia ſolet impedire, hoſtis prætereà reliqvis, ut videtur, pertinacior. Paupertas enim bonarum mentium ſoror ex Petronii judicio, & contubernalis, nobiſcum cibos capit, nobiſcum ambulat; ſtudet nobiſcum, nobiſcum dormit, ſurgit, vigilat, hoſtis planè ſingularis ut vel amici nos habitu fallat. Sed, delineamus potius, qvàm depingimus illa, & ad arma militiæ properamus noſtræ. Arma enim ſua qvæqve, ſua qvoqve habet militia noſtra, & qvod mireris, adſpectu viliſſima, & pretii ferè, ut videntur, nullius. Hoc vel ſolâ haſtâ, clypeoqve, qvibus armorum generibus ornata hoſce milites præire conſpicitur ipſa Minerva, oſtendam. Ridemus, ut de his dicamus primum, in ranarum & murium pugna ex alga, juncisqve haſtas. Sed profectò non aliis pugnant Studioſi, qvas tamen anteqvam vobis monſtrem, non inficetum cujusdam referre lubet jocum. Tria, inqviebat ille, animal-

cula viliſſima toti dominantur orbi, &, qvod magis eſt, viliſſima ſui parte, qvod adhuc magis, propriis excrementis, imò, qvod videtur maximum, qvando mortua exiſtunt. Explicabo ſultis, hoc ænigma, hunc labyrinthum. Animalcula ſunt, ovis, apis & anſer. Ovis qvidem pelle, ſuis reliqva excrementis. Cerâ apis, anſer pennâ. Ex pelle nimirum ovina conficiuntur membranæ, qvibus principum mandata inſcribuntur calamo, qvæ poſt cerâ ſolent obſignari. Ex his ſolam nunc pennam, tanqvam militis ſtudioſi depromimus haſtam, ut & ſic Anſer Capitolium, qvod ſufficit, defendat noſtrum. De Clypeo verò & Ægide qvid commodius poſſemus, qvàm divini ſcriptoris uſurpare illud: (a) Milleni clypei pendent è Turri Davidis. Turris illa & Armamentarium Davidis Eccleſiæ eſt imago, qvæ clypeis, id eſt, militibus clypeatis neceſſariò eſt defendenda. Clypeorum potiſſimum duas novimus utilitates, dum illi & hoſtibus objiciuntur, & ictus eorum excipiunt. Egregia hîc obverſatur ſcientiæ (hanc enim clypeum & Ægida nuncupabimus) facies, oppugnandiqve pariter & defendendi provinciam nobis adumbrat. Opponimus clypeos, qvod eſt, Adverſariis objeciſſe argumenta. Clypeis tela excipimus, qvod eſt, argutias & argumenta adverſæ partis retudiſſe. Vera nos dixiſſe, juvenes numero triginta qvatuor, qvos illuſtri huic conſeſſui ſiſtimus, documento eſſe poſſunt. Ii enim, cum opponendi reſpondendiqve artis ſint peritiſſimi, non alio, qvàm Clypeatorum nomine inſigniri merentur. Sicuti verò apud Romanos hæc erat differentia Clypeatorum, ſoli fortes ſuti pictis, reliqvi-

a) Cant. IV, 4.

ſunt, ex Pythagoreo puteo, effluere patiatur hiulcum, ſed Prienæi exemplo ſua ſecum portare oportet omnia, ut ſemper, tanqvam tyronibus ad dictionarium, non ſit recurrendum ad libros. Qvapropter libros iterum vobis abs me videtis clauſos, ut non ſolùm qvod, modò dixi, obſerveris, ſed etiam nullius, ſine ratione, Autoris mancipia Vos jam eſſe, exinde cognoſcatis, tanqvam Amici qvidem Platonis & Socratis, magis tamen ipſius Veritatis.

ANNULUS.

Hoc tandem Annulo Sophiæ caſtiſſimæ Virgini, ad qvas nuptias qvoqve hi lectiſſimi hoſpites ſunt invitati tanqvam ſponſos lectiſſimos, non qvotannis, ut Veneti ſolent Neptuno, ſed ſemel pro ſemper deſpondeo, eandem Vobis indiſſolubili vinculo jungo, utq; unicè ametis, colatis & nunqvam malitioſè deſeratis, omnibus modis à Vobis contendo. Nil amplius jam reſtat, qvàm ut deſideratos honores impertiam Vobis.

RENUNCIATIO.

Qvod igitur æternus & miſericors DEUS, Pater Domini noſtri JEſu Chriſti in divini ſui nominis gloriam, Eccleſiæ, Reipublicæ Chriſtianæ & Academiæ ſalutem, Veſtrumqve omnium honorem atqve emolumentum benè vortat, Ego JOHANNES ADAMUS SCHERZERUS, Egra Bohemus LL. Artium & Philoſophiæ Magiſter, Ebrææ Lingvæ Profeſſor Ordinarius, Majoris Collegii Principum Collegiatus, Facultatis Philoſophicæ Aſſeſſor, & pro tempore Decanus, Autoritate plena & poteſtate à ſpectatiſſimo Domino Procancellario mihi conceſſa Vos optimarum

marum Artium & Philoſophiæ modò renunciatos Licentiatos, nominatim

TE CHRISTIANUM JENTZCHIUM, Dresdenſem, & Patrii Noſocomii Paſtorem,

TE JOHANNEM ROSAM, Lipſienſem.

TE JOHANNEM HEINRICUM WILHELMI, Grimmenſem, & Gymnaſii Portenſis Cantorem,

TE MICHAELEM DITMANNUM, Dresdenſem,

TE ISAACUM THILONEM, Inſulan. Boruſſum,

TE JOHANNEM BECKERUM, Freiſtadio-Sileſium,

TE ANDREAM DATHE, Rochlitio Miſnicum,

TE BARTHOLOMÆUM, Francken / Weida Variſcum,

TE JOHANNEM OLEARIUM, Hallenſ. Saxonem,

TE JOHANNEM SEVERINUM WEISSIUM, Cizâ Misnicum,

TE BARTHOLOMÆUM BURCHARDI, Bornâ Miſnicum.

TE GEORGIUM HASELICHIUM, Magdeburgo Saxonem,

TE JOHANNEM FRIDERICUM MEISNERUM, Qvedlinburgenſem Saxonem.

TE CHRISTOPHORUM PELSIUM, Islebienſem, Saxonem,

TE CHRISTOPHORUM GRÆFIUM, Sulzâ Thuringum,

TE JOHANNEM DöSNERUM, Leucopetrenſem Miſnicum,

TE JACOBUM SCHINDLERUM, Schnebergenſem Miſnicum,

TE

TE SETHUM CALVISIUM, Qvedlinburgo Saxonem,

TE CHRISTIANUM KNORRIUM, Ruthenatem Sileſium,

TE JOACHIMUM }
TE GERHARDUM } CORTHUMIOS, fratres Germanos, Hamburgenſes Saxones.

TE JOHANEM ZECHENDORFFIUM, Græcio-Variſcum.

TE JOHANNEM CAROLUM GOLDSTEIN, Lipſienſem.

TE CHRISTOPHOSUM MULLERUM, Ilenberga Miſnicum,

TE GEORGIUM GRUNERUM, Islebienſem Saxonem,

TE HEINRICUM GEISLERUM, Lipſienſem,

TE JOACIMUM FELLERUM, Cygneâ Miſnicum,

TE BENEDICTUM CAMENIUM, }
TE ERLANDUM AURELIUM, } Caroloſtadio Svecos,

TE CHRISTIANUM MULLERUM, Lipſienſem,

TE CASPARUM LöSCHERUM, Werthavia Miſnicum,

TE JOHANNEM CRUGIUM, Coburgenſem Fancum,

TE NICOLAUM KLEINIUM, Calmaria Alſatum,

TE JOHANNEM LAUDENBACHIUM, Svvinfurto Françum.

Vos, inqvam, numero triginta qvatuor omnes & ſingulos optimarum artium & Lingvarum Magiſtros, id eſt, totius veræ, ſalutaris & infucatæ Philoſophiæ facio,

cio, creo Doctores, factos creatosqve publicâ voce renuncio, tribuens Vobis plenam poteſtatem docendi hîc & ubiqve, cum omnibus privilegiis, juribus & commodis, qvibus Magiſtrorum Ordo, more antiqvo, & recepta hujus Academiæ conſvetudine, uti frui conſvevit, & qvibus notis diſtingvi eos à reliqvis ordinibus Majores noſtri voluerunt, in nomine DEI PATRIS, DEI FILII, ET DEI SPIRITUS SANCTI, DEI Triunius, à qvo, in qvo, per qvem & ad qvem ſunt omnia, qvi eſt TOTUS, UNUS, IPSE, Amen.

Qvoniam verò Magiſtri præcipuæ partes ſitæ ſunt in docendo & explicando Bonos Autores, ut Auditores etiam circa hoc poſſint eſſe ſecuri, faxis. intelligant ii, qvâ dexteritate Tu, MICHAEL DITMANNE, LL. Artium & Philoſophiæ recens create Magiſter, nobis jam breviter Libros Ariſtotelis ad Nicomachum, explicare poſſis.

Credo, perſpicere vires tuas Dominos Auditores, qvocirca non eſt, ut patientia illorum ulterius abutamur.

Nunc, qvod unicùm nobis reſtat, & ipſa in DEUM & Magiſtratum pietas jure efflagitat ſuo, Tu, JOHANNES OLEARIE, Philoſophiæ, Lingvarum & Liberalium Artium Magiſter, ultimum huic Actui manum impones, & eundem decenti gratiarum actione concludes.

DIXI.

Oratio Posterior

Die XXX. Mart. A. M. DC. LXVII.

Cùm XII. Philoſophiæ Baccalaureos publicè renunciaret,

In Auditorio Philoſophico recitata.

NE qvis veſtrûm demiretur, omnium ordinum ac dignitatum honoratiſſimi Auditores, Nobiliſſimiqve, qvotqvot adeſſe video, Juvenes Studioſi: Ne qvis, inqvam, demiretur, cur Ego Profeſſor Theologus Philoſophos, Doctor Baccalaureos, inuſitatô planè exemplo, facturus hanc cathedram conſcendam. Sive inclutum Philoſophorum ordinem ſive me ipſum, ſive duodecim iſtos, qvos adduxi mecum adoleſcentes, ſive deniqve ubi conſiſto, locum intuear, inſtituti nec nullam omninò nec vanam dare me rationem poſſe exiſtimo. Ante hos qvindecim, & qvod excurrit, annos ex hâc ipſâ Exedrâ, hoc eodem Decano diſputans factus ex peregrino ſum Magiſter noſter: triennio pòſt in ſuum me conſilium allegit Philoſophorum ſenatus: qvo tempore ſanè mihi ac Muſis, in tot cruditiſſimorum Virorum conſortio ſvaviter vivere (vixi autem ad numerum præſentium Candidatorum ipſos præcisè duodecim annos) perqve culturam artium ad Theologorum ſacra non tàm ire, qvàm properare licuit. Vehementer enim errant illi, qvi ſpes præcipitando ſuas, per Philoſophiæ ſeu contemtum ſeu neglectum graſſantes, in ſuperiorum Facultatum aliqvâ qvicqvàm laude

 dignum

dignum ſibi pollicentur. Qvæ tanta certè ſunt (plurima autem, ne præſentium Collegarum auribus aliqvid dare videar, modeſtè prætereo) ut ſilentium protinus imperare mihi valeant: cùm præſtet intra ſilentii vallum ea recipi, qvæ non niſi infra dignitatem dici poſſunt. Non enim qvotidiano aut proletario ſermone, ſi hâc ipsâ oratione honoratiſſimo huic Ordini, qvi exulem admiſit, admiſſum in Literariam Civitatem (cùm Romanus Antichriſtus Octavus ille Inurbanus Patriâ pepuliſſet) recepit, receptum in ſinu fovit, omnesqve adeò mihi honores, Decani, Procancellarii, Senioris, Examinatoris, & ne qvicqvam deeſſet hâc ultimâ vice, Promotoris, ſecum communes eſſe voluit, ultimum ſit dicendum VALE, mihi impræſentiarum opus eſſe intelligo. Qvoniam igitur vel penitùs tacendum vel non absqve ſermonis ornatu, (qvo me inſtructum non eſſe, probè ſentio) valedicendum eſt, dabitis mihi veniam, Auditores, ſi, ne ornatè dicam, Philoſophis nondum valedicam. Ut nihil enim diſſimulem, Philoſophis ego meis valedicere nunqvam poſſum: niſi, qvod nuper mihi commiſſum eſt, Theologi munus actutùm deponere velim. Exeundum qvidem ſvaviſſimâ conſortione eſt: poſt decentes autem gratias, & concepta, qvò ſingulis proſperrima eveniant, vota ceu Theologus non Philoſophus exibo. Tamdiu enim Theologus fuero: qvamdiu habitu Philoſophi non exuar, qvi niſi veri nominis ſim perpetuò Philoſophus, Theologus eſſe non poſſim. Qvod ut ſeriò me dicere intelligatis, Studioſiſſimi Juvenes (Collegis enim hoc perſvadendum non fuerat) primam Philoſophiæ Cultoribus Lauream Doctor Theologus imponam, ſi prius Theologo Philoſophiæ

ſtudium,

Cap.	Verſ.	Pag.
III.	*15.*	*261*
	16.	*440*
IV.	*5.*	*258*
	10.	*262. 259.*
	11.	*259*
	12.	*ibid.*

EPISTOLA AD TITUM.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	*5.*	*123. 259.*
	9.	*165. 261*
III.	*5.*	*197.*
	10.	*165*

EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	*3.*	*269*
II.	*17.*	*392*
V.	*7.*	*392. 400*
	14.	*443*
VI.	*5.*	*284*
VII.	*22.*	*223.*
	25.	*315*
IX.	*27.*	*250*

I. JOHANNIS.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	*9.*	*388*
II.	*1.*	*311. 312*
	13.	*— 311*
V.	*20.*	*312*

II. JOHANNIS.

Cap.	Verſ.	Pag.
	11.	*166*
	20.	*165*

I. PETRI.

Cap.	Verſ.	Pag.
III.	*8.*	*399*
IV.	*10. ſeqq.*	*167*

V.

Cap.	Verſ.	Pag.
V.	*1.*	*123*
	2.	*123. 260*
APOCALYPSIS.		
I.	*8.*	*443*
II.	*2.*	*166*
	18.	*ibid.*
III.	*16.*	*ibid.*
	20.	*256.*
XII.	*15.*	*68*
XIV.	*9.*	*166*
XVII.	*6.*	*108*
XXI.	*8.*	*166*
XXII.	*1.*	*196*

INDEX II.
VOCABULORUM EBRAICORUM ET GRÆCORUM.

אהב 52
אות 159
אלהים 8. 12
אנוש 9
אשרה 152. ſqq.
אשה מנאפת 157
ארת 210
ב. præfixum 156
בגר 297
בחור 181. 182
בתולה 153. ſqq.
בתי המדרש 409
בתי כנסות 409
דברים נחומים 312
דרך 156
הלך 214
חוחים 288
חנן 8
חסר ibid.
חשק 52
טף 156
יהוה 12
יוסם 418
ילד 31

 ילדה

ילדה	156	על פני	233
ילך	216	פה לפה	282
ינון	160	פלא	159
יצא	216	פרך	9
יצר	12	רחם	8
ישבה	409	תענית	323
כרת	214		
לבוש	297	ἀναζωπυρεῖν	261
לוז	10	ἄνθρωπος τοῦ θεοῦ	ibid.
לקח	254	ἄνυδρα	69
מארת	215	ἀπέραντα	242
מופת	159	ἀποκάλυψις	247
מורה	198	ἀπόκρυφος	246
מורה לצדקה	198	ἀποστολή	268
מחשבה	12	βραβεύειν	318
מלקיש	198	γνῶναι	442
מנחם	312	διαλέγειν	442
מס	282	διδακτικός	261
משמרת	183	ἔγκλειστοι	154
משפר	183	ἐντυγχάνειν	315. 318
נגף	17	ἐρευνᾶν	316
נס	159	ἰχθὺς pro Chriſto	36
נעורים	156	νηστεία	323
נערה	ibid.	νηστείας ὄζειν	327
נפרה	183	νομικοὶ	260
סמיכה	425	ξηροφαγεῖν	343
ספוג	183	ὄνοι λύρας	183
ערן	57	Ὀστρακόδερμα	346
עלם	153	παρὰ particula.	233
עלמה	9. 153. ſqq.	παρακλητικοὶ λόγοι	312
עלמות	155	παράκλητος	311
על פי	52	παρακλήτωρ	312

παρ-

Animam affligere qvid ſit in ſcripturis? 323
Animam qvid dixerint Sadducæi? 370. 371
Animalcula tria toti dominantur orbi. 405
Annulus creandis apud Lipſienſes Magiſtris indi ſolitus. 426
AntiChriſtus. 104
Antidico-Marianitæ 352
Antiqviſſima ſuſpiciuntur. 2
Apoſtaſia Manaſſis. 284
Apoſtoli qvi fuerint? 125. 255
Apoſtolicum & divinum non eſt unum idemq́;, 127
Aqva cur materia baptiſmi? 189. 190
Aqvæ Eccleſiæ. 68
Aqvæ cur Spiritus S. comparetur? 196
Ara primogeniti DEI Romæ ab Auguſto extructa. 39
Arabes librorum & antiqvitatum ſtudioſi ſunt. 63
Architectonica utilis eſt ad intelligenda Theolog. 439
Aremboldus, Referendarius Apoſtolicus. 112
Arida comedere qvid ſit? 343
Ariſtoteles Rhodius. 57
Ariſtomachus pulicum ſaltus metitur. 436
Ariſtoteles Stagirita contemnitur. 58
Magni ſit in oriente 69. ſeqq.
an plagiarius Salomonis fuerit? 59. 60
proſelytus juſtitiæ qvibusdam Judæis videtur 59
Apud Arabes in Aſia & Africa notus fuit 61. ſeqq.
Ariſtotelica Philoſophia apud Perſas docetur. 64
apud Mahummedanos legitur. 62. 64
Arius negavit divinitatem Spiritus S. 369. 370
Arminiani de ira DEI non rectè docent. 381
Arnobius de ira DEI benè ſenſit. 381

Cœci non creabantur Magiſtri apud Ebræos & cur? 421
Cœcus Lipſienſium Magiſter, Schonbergerus. 421
Cœmiteria Judæi vocant loca vivorum. 25
Collegia Academiæ Lipſienſis. 414
Collyridiani. 352
Columna Cardinalis Innocentio X. claves cum impiis verbis offerens. 1[illegible]8
Comenii de Mareſio judicium. 189
Commentarii ſacrarum literarum qvomodo æſtimandi? 19
Communio ſub una. 107. 108
Conceptionis Chriſti momentum & hora. 304. 305. ſqq.
Concilium Tridentinum infallibilem Papæ autoritatem non aſſerit. 107
Concionem in Concilio Tridentino LX. Epiſcopi habere non poſſunt. 245
Concipere mulier an per os & aurem poſſit? 305
Conjugium ſacerdotum. 108
Conſeqventiis an adverſarii in Theologia urgendi? 397
Conſolatio Spiritus S. propria. 312
Conſolationes tentatorum Calvinianæ. 82. ſeqq.
Controverſias Theologicas tractare qvi prohibeant? 444
Corporis Domini circumgeſtatio. 108
Corpus idem reſurrecturum eſſe, Sociniani negant. 177
Corrumpi Chriſti corpus poſt mortem juxta Pontificios cur non potuerit? 362
Creaturæ homines, Deum eſſe, docent. 232
Credulitas in diſcipulo neceſſaria. 184
Critici nimii vituperatione digni. 436. 437

Cro-

Fames non eſt jejunium religioſum. 324
Feſtum dolorum Mariæ inſtitui, Vega optat. 360
Feuerbornius erroneam ſententiam de interceſſione Spiritus S. mutat. 319
Fides Protoplaſtorum in Meſſiam cum ignorantia circumſtantiarum potuit ſtare. 219
Filius DEI poſt ſeculum ſecundum oppugnatus eſt ab hæreticis. 366. ſeqq.
an ſeipſum miſerit? 276
non eſt miſſus à Spiritu S. 276
Franciſco divina attribuunt Papiſtæ. 239
Fucus mulierum. 298

G.

Galaticari qvid ſit? 341
Galatini Arcana & ſiniſtrum de iis judicium. 34
Galeni opera deſiderata apud Arabes ſunt. 63
Gemitus Spiritus S. ab omni imperfectione liberandi. 321
Gnomonicæ notitia ad qvid in Theologia proſit? 439
Græcam lingvam neſciunt Papiſtæ. 245. 246
Græcorum Schiſma ab Apoſtolica ſede qvando contigerit? 368
paſſivum fuit. 369
Gratia particularis à Calvinianis credita. 72. 73

H.

Hæreticorum veterum nomina. 102. 103
Helmſtadienſis Academia. 137. 138
Hippocratis Opera deſiderata, apud Arabes ſunt. 63
Homiletæ minus accuratè nonnunqvam loqvi poſſunt. 401
Homines pro ſe non interpellant. 318
Hortus aqvis plenus eſt Eccleſia. 67. ſeqq.

Hun-

Impii vi reſurrectionis Chriſti an reſurrecturi ſint. 224.ſeqq.
Incarnationem DEI poſſibilem eſſe Judæi fatentur. 42
Incarnationis myſterium qvantum ad circumſtantias πολυμερῶς & particulatim revelatum eſt 218
Indulgentiæ. 107. 111.ſeqq.
Indulgentias Lutherus primùm Wittebergæ impugnat. 114
Indulgentiarum à Luthero impugnatarum memoriam Saxoniæ Elector qvotannis recoli jubet. 115
Inedia medicinalis non eſt jejunium religioſum. 324
Infernum multis laboribus merentur impii. 287
Ingenium bonum ad ſtudioſum Theologiæ reqviritur. 183
Ingenii cultura in qvo conſiſtat? 184
Ingratitudo gentilium in Deum. 234
Innocentius X. Papa blaſphemo ſcripto Chriſto comparatur & anteponitur. 116.117
Interceſſio Spiritus S. eſt formalis 317. ſeqq.
Interpretes LXX. maximo honore à Judæis habiti. 154
Invidentia ex ſuperbia oritur. 296
Johannes Chriſtum ante baptiſmum diſtinctè non novit. 219
Joſephus qvanti æſtimetur à Pontificiis? 239.ſeq.
R. Joſephus qvando cœcus factus eſſe dicatur? 421
Ira DEI eſſentialis ejus proprietas eſt. 381
negatur ab Epicuro. 378
& Stoicis. 378
pro accidente à qvibus habeatur? 381

melius